



DE ARTE
BENE AMANDI,
SIVE
DE DILIGENDO
DEO
LIBRI TRES.

AUCTORE

CAJETANO CORAZZA

CLERICOR. REGUL. MINORUM.




Fr: Antoninus Mr. Bar=zinj Ord. Min=nimorū Domenicæ Biblio=thecæ S. Joseph Flor. An: 1716.

ROMÆ, MDCCXXIV.

Ex Typographia Antonii de Rubeis è foro Rotundæ in via ad Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.





EGO MATER
PVLCHRÆ DILECTIONIS

IMMACULATÆ SEMPER VIRGINI
DEI GENITRICI

MARIÆ,

Pulchræ dilectionis Matri.



UM Scriptores omnes præſen-tiſſimi Patrocinii ſpes alliciat, ut Mecœnati, æquè Pio, Magno,

ac Amabili sua dedicent opera; [a] *Nemini profectò, Opus hoc, quàm Tibi, rectiùs consecrarim,* [b] *ò Pia, ò Magna, ò multùm amabilis* MARIA. [c] *Diù trepidus fui, & ausus hos meos aliquoties distuli: sed me principaliter, ut dici assolet, animavit Beatitudinis Tuæ benevolentia, omnibus comprobata.* [d] *Scio*, namque, *Domina, quià benignissima es, & amas nos amore invincibili*: immò [e] *Regina misericordiæ tu es, cui data est omnis misericordia;* [f] *& cum misericor-*

dia

(a) Niceph. in Dedic. hist. Eccl. (b) Bern. in Depr. & laud. Virg. Deip. (c) Quod vult D. ad August. ep. 221. int. ep. Aug. t. 2. (d) Petr. Damian. t. 2. Serm. 44. in Nat. B. V. (e) S. Dyon. in revel. S. Birg. l. 4. c. 103. (f) Riccard. à S. Vict. p. 2. in Cant. c. 23.

dia Dei ſit ab æterno, amplior cæpit eſſe ex tempore, & cùm in te capit initium, ejus quoque largitas per te ſumpſit augmentum. At [g] *quis miſericordiæ tuæ, ò Benedicta, longitudinem, & latitudinem, & ſublimitatem, & profundum queat inveſtigare?* [h] *Libet dulciter contemplari ſilentio, quod laborioſa non ſufficit explicare locutio.*

Nec ſolum [i] *piiſſima Domina* es, verum etiam [k] *Domina magna, & valde magna*: Siquidèm [l] *præter aſſumptam à verbo naturam nullum eſt opus, nulla*

(g) Bern. in Aſſumpt. V. M. Serm. 5. (h) Bern. hom. 2. ſup. Miſſ. (i) Anſel. or. 54. (k) Idem or. 51. (l) Bonav. in Spec. c. 7.

la creatura, in qua tanta divinæ materiæ gloria reluceat. (m) *Sanè res omnes conditas dignitate antecelluiſti: ex te enim ſola ſummus ille Opifex partem aſſumpſit, hoc eſt maſſæ noſtræ primitias*: adeòque (n) *nemo æqualis eſt tibi, nemo major te, niſi Deus.* (o) *Ad quantam celſitudinem verticem ſanctum erigis, uſque ad ſedentem in throno, uſque ad thronum majeſtatis*; quin ipſa es (p) *Thronus Cherubinis ſublimior*; (q) *thronus, in quo ſedit Dominator Dominus, in quo, & per quem non ſolum omnes, ſed*

om-

(m) Damaſc. Orat. de B.M. Nat. (n) Idiot. de V. M. Cont. c.2. (o) Bern.Serm.2. in Adv. (p) Damaſc. or. 1. de Nat. (q) D. Petr. Dam. Serm. in Nat. Virg.

omnia renovantur, dum [r] *in te, & de te, & per te benigna manus omnipotentis quidquid creavit, recreavit*.

Demùm [s] *tu pie potens, & potenter pia* MARÌA, *de qua ortus est fons misericordiæ*, [t] *omnibus es* etiam *amabilior, gratiosior, & dulcior*; adeòque [u] *nec nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te*; Quippè [x] *tota pulchra es*: [y] *pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum*. [z] *Tota pulchra es in anima per vir-*

(r) Bern. Serm. 2. in Pent. (s) Ansel. or. 49. ad S. V. M. (t) Idem or, 53. (u) Bern. in Depr., & Laud V. Deip. (x) Cant. 4. v. 7. (y) Ans. orat. 51. (z) Idiot. de Cont. Virg. c. 2.

virtutum, & charismatum omnium perfectam pulchritudinem .... tot enim habuisti pulchritudines quot virtutes. [a] *Tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua.* [b] *Thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, & omni præditus sanctitate; floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragrans castitatis odore, charitate fervens, virginitate redolens, pollens humilitate.* Et sanè [c] *quid horum non mirabile, quid non incomparabile, quid non singulare?*

Verùm [d] *ò pulcherrima mulie-*

(a) Damasc. or. de B. M. Nat. (b) S. Laur. Just. de cas. Con. c. 9. (c) Bern. hom. 1. sup. Miss. (d) Idiot. de V. M. Cont. c. 2.

lierum, qua temeritate audeo venire ad Te? (e) *Te cupit os meum laudare,* (f) *sed quid dicam? Lingua mihi deficit, quià mens non sufficit:* (g) *Grandes* enim *materias ingenia parva non sustinent, & in ipso conatu ultra vires ausa succumbunt, quantoque majus fuerit, quod dicendum est, tanto magis obruitur qui magnitudinem rerum verbis non potest explicare.* (h) *Quid* igitur *dicam pauper ingenio, cum de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis*

(e) Ans. or. 51. (f) Idem ibid. (g) Hyer. ad Heliod. ep 3. (h) Fulber. Ab. Serm. de Ass.

dis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris. Quid ergò de te dignè dicam, quid referam? cum non sufficiat lingua carnis, tuas exerere virtutes; nam [i] *quidquid de te à mortali homine dicitur, celsitudinis tuæ meritis non æquatur.*

[k] *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei Genitrix: sed adhuc locus est tuæ laudi; adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit: non enim sunt loquelæ, neque sermones in natione, quæ sub cœlo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ* ad

(i) D. Pet. Dam. t. 2. hom. 46. in Nat B.V.M. (k) Bern. in Deprec., & Laud. V. M.

ad plenum valeat explicari, ò pia, ò magna, ò multum amabilis MARIA. [l] *Utinam & mihi de supremo Altari, non quidem carbo unus, sed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam, & inveteratam pruritientis oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat, quatenus* [m] *repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Certè [n] *præsumendo loquar*... attamen *loquar adhuc ad Dominam meam, cum sim pulvis, & cinis.* [o] *Tu sanctorum areola aromatum à cœlesti consita pigmen-*

(l) Bern. hom. 3. sup missus. (m) Psal.70. v. 8 (n) Ans. or. 51. (o) Bern. in Depr. J. &Laud. Deip.

mentario virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas ... Verè Paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ Mundo protulisti, de quo qui manducaverit vivet in æternum ... Tu Solis imago expressissima inter millia astrorum Deo assistentium virginali puritate in Cœlo gloriosa præfulges. (p) *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* (q) *Supergressa certè es in natura, supergressa es in gratia, supergressa es in gloria universas filias, universas animas, universas intelligentias Angelicas, ò* MARIA, quæ (r) *Sancto-*

(p) Prov. c. 31. v. 29. (q) Bonav. in Spec. lec. 13. (r) Idiota de Con. V. c. 6.

ctorum omnium privilegia habes in te congeſta, & cum ſis [s] *Sacrarium omnium virtutum*, [t] *omnis virtutis habitaculum*, [u] *totius Trinitatis nobile Triclinium*, es [x] *in Gloria glorioſiſſima poſt Deum*.

[y] *Sed quid conor, florentiſſima Virgo, pia Mater, & Domina, quid conor proſequi virtutes tuas?* quas omnes ſi [z] *exponere vellem, in immenſum oratio excreſceret, & hiſtoriam potius, quam operis dedicationem inſtituere viderer.* [a] *Tua ſanè, ò Sanctiſſima Virgo, laus omnem prorſus laudem, pro-*

(s) Anſ. or. 46. (t) Damaſc. l. 4. de fide ort. c. 13. (u) D. Th. opuſc. 8. (x) Bonav. in Spec. lec. 6. (y) Thom. Cantipr. l. 2. apum c.29. (z) Niceph. in Dedic. Hiſ. Eccl. (a) S. Greg. Neoceſ. or. 2. de Annunc.

propter Deum, ex Te incarnatum, ac hominem natum excedit; & (b) *quemadmodum gutta aliqua infusa mari nihil adjicit, neque pauperis crumena divitis thesaurum evacuat; ità nemo tuarum celsitudinem laudum oratione satis extollere valet, cum laudem singularem habeas, quod Deiparam te esse constet.* Itaque (c) *quid amplius dicere possum, Domina? Immensitatem quippè gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit.* (d) *Quonam modo ultra progrediar? mens enim extrà se rapitur, metusque, ac*

(b) S. Germ. Const. or. de Nat. B. V. (c) Ans. de excel. B. V. M c. 8. (d) Damasc. orat. de B. M. Nativ.

ac cupiditas me inter se partiuntur. [(e)] *At tu cupiditatem benigno animo accipe, illud scilicet exploratum habens eam viribus nostris superiorem esse*: Nam [(f)] *si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum* tuis *virtutibus dicerem.*

At quoniam nemo [(g)] *tibi dignè valet jura gratiarum, ac laudum præconia rependere... accipe quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones.* [(h)] *Cum multorum debitor rependere, ac paria facere*

non

(e) Damasc.or.1.de B.M. Ass. (f) Hyer. ad Eustoch.ep. 27. (g) August. Ser.18. de Ss.(h) S.Germ. Const. or.de Nat. B.V.

non poteſt , gratiarum actionem accumulat : & ideò [i] *Domina, Domina mea omnia intima mea ſollicita ſunt , ut* pro innumeris beneficiis, quæ mihi indigniſſimo exuberanti manu contuliſti, *tibi gratias exolvant* : *ſed nec cogitare poſſunt dignas , & pudet proferre indignas*.

Itaque cum nihil Te dignum proferre, ac offerre valeam; [k] *habes gratitudinis ergo has* carminum *noſtrorum primitias, ac pauperis animi noſtri libamina, qui amore tuo incitatus imbecillitatis ſuæ oblivione captus eſt*. [l] *Certè vidua paupercula, quæ duo æra*

(i) Anſ. or. 51. (k) Damaſc. or. 1. de Aſſ. B. M. (l) Bonav. in Spec. B. M. V. Prol.

æra minuta Deo gratissima obtulit, non propter hoc offerre non debuit, quia magis offerre non valuit: immo offerendo quod potuit, summè Deo placuit. Hinc est quod ego pauper ingenio, immò pauperrimus tàm scientia, quàm eloquentia, hoc exiguum donum, hoc pauperculum scriptum ad honorem tantæ Reginæ offerre præsumpsi: scilicet [m] *ingrati animi fore existimavi, si hoc opus* sub tuis auspiciis *cæptum, atque elaboratum, alteri potius consecrarem, quàm Tibi.* [n] *Has igitur ob causas cum* Artem bene amandi *scribere instituissem, necessariò eam Tibi nuncupandam putavi.*

 Cui

(m) Valeſ. ep. ad Ludov. (n) Sozomen. orat. ad Theod.

Cui enim potius eam nuncuparem, quam Tibi, quæ [o] *Mater* es *pulchritudinis*, & [p] *Mater pulchræ dilectionis?* [q] *in te* siquidèm, ò *Beata Virgo* Maria, *fuit ignis charitatis ardens, & splendens ante Deum*: fuit [r] *charitas, qua majorem nemo habuit... cui post illam similis altera non fuit.* [s] *Benè Sancto Spiritui in te complacuit, cum divinis adeò mysteriis uterum tuum consecrare dignatus est: Ipse enim est ignis consumens, qui sanctissimam animam tuam totam inflammavit seipso, atque splendore divi-*

na

(o) Bern. in Depr., & Laud. V. Deip. (p) Ecclesiastici c. 24. v. 24. (q) Idiota de Cont. Vir. c. 3. (r) Bern. Ser. de V. M. de ver. Apoc. (s) Idem in Depr., & Laud. Virg. Deip.

na majestatis implevit; & (t) *velut ignis ferrum totam decoxit, incaluit, & ignivit, itaut in ea Spiritus Sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris Dei.*

At (u) *quid mirum, si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta?* (x) *Te rerum omnium Deus dignam prænoscens amavit, amatam prædestinavit.* (y) *In te perbenignus ille Conditor ferventissimæ charitatis flammas, quasi confertos quosdam Solis radios est ejaculatus;* (z) *teque ipse Rex Regum, ut Matrem veram, & decoram Sponsam præ omnibus di-*

(t) S. Idelph. or. 1. de Ass. (u) Bonav. in Spec. lect. 6. (x) Damasc. or. dicta. (y) Methodius in Hypop. (z) Aug. de SS. Serm. 35. in fine.

ligens amoris amplexu sibi asso-ciat.

[a] *Eja ergo, benignissima Domina mea* Maria, *illud exiguum munus* (seu parvum, abjectumque tributum) *quod dat tibi pauper amicus* (adeò non audeo, immò felix ero, si patiaris, ut dicar indignissimus Servus, & vile mancipium) *accipito placide.* [b] *Ad peculiare Patrocinium Pietatis Tuæ confugio, & voce mea, sed universali desiderio paratum ad misericordiam Sacrosanctum Pietatis pectus appello,* [c] *Sacrarium Spiritus Sancti,* [d] *per quem, & in quo amatur omne quod bene ama-*

(a) Bonav. in Prol. Spec. (b) Quodvult D, ad Aug. inter ep. Aug. ep. 223. (c) Ansel. or. 54. (d) Idem de excel. B. V. M. c. 4.

amatur. [e] *Bona Mater rogo te per dilectionem, qua diligis Filium tuum, ut ſicut tu verè diligis, & diligi vis eum, ità mihi impetres, ut verè diligam eum.* [f] *Fac etiam ut amor tui ſemper ſit mecum, & cura mei ſemper ſit tecum.* [g] *Profectò nec ego pulſare ceſſabo, donec concedas; ut quod non impetrat privilegium, ubi nullum eſt meritum, ſaltem indefeſſa importunitas mereatur.*

[h] *Mater amatoris noſtri, quæ illum in ventre portare, & in ſinu meruiſti lactare, an tu non poteris, aut non voles poſcenti ejus amorem, & tuum impetrare?* [i]

 Et

(e) Anſel. or. 51. (f) Ibid. (g) Quodvult D. ad Aug. ep. 223. (h) Anſ. or. 51. (i) Bern. in Deprec., & Laud. Virg.

Et quis tàm idoneus, ut loquatur ad cor Domini nostri Jesu Christi, ut tu felix MARIA? *quæ in secretissimis amplexibus filii tui recubas in meridie sempiterno, ejusque familiarissimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris . . . Præstet* itaque *hoc tuo interventu, ò* MARIA, *filius tuus, ut* [k] *vestro continuo amore langueat cor meum, liquefiat anima mea, deficiat caro mea.* Tandem [l] *ducat nos Mater ad Filium, Filia ad Patrem, Sponsa ad Sponsum,* ut [m] *Deo nostro in vinculis charitatis adstricti unum cum ipso efficiamur.* Ita Te pulchræ dilectio-

(k) Ans. or. 51. (l) S. Petr. Dam tom 2 Ser. 11. de Ann. (m) Bern. in Depr., & Laud. Virg.

ctionis Matrem humillimè precatur.

Tuus indignissimus Servus
Cajetanus Corazza C.M.

JESUS MARIA

DIDACUS RUIZ

Clericorum Regularium Minorum Præpositus Generalis.

CUM Librum, cui titulus: *De Arte Bene Amandi &c.* à P.Cajetano Corazza nostri Ordinis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem nostræ Religionis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur, cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ in nostra Domo S.Laurentii in Lucina die 9. Aprilis 1724.

Didacus Ruiz Præpositus
Generalis C. R. M.

Stephanus Franciscontus C. M.
Secretarius P. Generalis.

Regist. fol.36.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. Patri Sac. Pal. Apost. Mag.

N. Baccharius Episc. Bojanen. Vicesgerens.

JUssu Reverendissimi Patris S. A. P. Magistri, vidi Librum *De Arte benè amandi, sive de diligendo Deo*. Authore Reverendissimo P. Cajetano Corazza Ex-Provinciali, Romani Cleri Examinatore, & in Collegio de Propaganda Fide Theologiæ Moralis Lectore. Nihil toto in hoc opere reperire est, quod poeticas fabulas, & Gentium ritus oleat; nihil seu in dictione humile, aut obscurum; seu in metro asperum, aut incompositum: At sic omnia pietatem spirantia, sic nitidè, & elegantèr dispofita; ut rerum majestati par penè sit styli nitor, & venustas. Ità mecum sentiet, quisquis hoc Opusculum legerit, in quo nihil deprehendet non sanæ fidei, bonisque moribus consonum: Undè publica luce dignissimum judico. Ex Collegio S. Francisci de Paula hac die 15. Aprilis 1724.

Franciscus Zavarroni Sac. Congregationis Indicis Consultor, in Collegio de Propaganda Fide Lector, Ordinis Minimorum Procurator Generalis.

Ar-

ARtem bene amandi, seù Artem diligendi Deum; quam doctissimis Elegis elucubratus est Reverendissimus P. Cajetanus Corazza Cler. Regul. Min., & in tres libros distribuit; attentè legi jussù Reverendissimi P. Gregorii Selleri Sac. Apost. Palatii Magistri: & nihil in ea animadverti, quod orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adversari possit. Imò luculentissimos, quos Author passim habet sensus ex Sacrâ Theologiâ depromptos, & majestati argumenti peropportunos, tam Selectis Patrum sententiis confirmat;& tam facili venâ in Carmen deducit; ut præclarissimum titulum, quem operi præfixit; sanctè ac fidelitèr impleat, ardentem videlicet in Deum Charitatem Lectori continenter inspirans. Ex Collegio Romano Kalendis Maii 1724.

Dominicus Antonius Briccialdi Soc. Jesu Cleri Urbis Examinator.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magist.

DE

DE ARTE BENE AMANDI;

SIVE

DE DILIGENDO DEO

LIBER PRIMUS.

Argumentum.

CUM *Amor, qui rebus etiam inanimis est insitus, humani cordis sibi jure vendicet imperium, omnes homines ad amandum equidem, bene tamen amandum excitantur. Hujus autem Amoris, qui bene amantes facit, eximiis dotibus indicatis, ipsum non ad Honores tendere, non Opibus attrahi, nec allici fluxà corporis pulchritudine, quà præsertim corda miserè vinciri solent, multiplici ratione, è Sanctis Patribus depromptà revincitur. Præmissa descriptione Currus, ac Triumphi Veneris, ne se se ad illum quis adjungat, omnes admonentur. Relegatis ab Arte bene amandi singulis bonis creatis, ad solum Deum, verum, unicum, & Summum Bonum animæ affectus esse dirigendos pluribus argumentis ostenditur. Inducuntur Seraphicæ Virgines SS. Teresia, & Maria Magdalena de Pazzis, enarrantes, quàm ipsis, etiàm in hac mortali vita degentibus, dulcis, ac suavis Dominus fuerit. At quoniam cœlestes delicias, quas anima Deum amans, potest*

test

test experiri, nemo pro dignitate valet exprimere: ideò prætermissis gaudiis, quibus Amor divinus abundat, immunem hunc esse à doloribus, & ærumnis, quibus Amor profanus vallari consuevit, dumtaxat aperitur; potissimùm quià Deum amans certus est ab eo redamari; uti luculenter ostendunt Mundi, & animæ creatio, Verbi Incarnatio, Christi Nativitas, Vita, Passio, Mors, atque Eucharistiæ Institutio, aliaque documenta, in hoc primo Libro singillatim expensa, quæ Dei amorem erga homines testantur, & à Sanctis Patribus recensentur. Denique ad comprobandum discrimen, quod inter amorem Dei, & sæculi reperitur, deliciasque spirituales à mundanis secernit voluptatibus, Diva Maria Magdalena è Massiliæ speca loquens inducitur.

Disce-

DIscere qui veram benè amandi nititur Artem,
Hos relegat versus, ut benè doctus amet.
Non ego lascivi venio Præceptor amoris,
Nec documenta meum turpia carmen habet.
Innocuos faciunt innoxia scripta libellos:
Ingenuas Artes candida jussa decent.
Ars puris cupidum monitis quæ format amantem,
Quis sit verus amor, quid benè amare docet. *Ovidius bene amare non docet.*
Improba Pelignus cum det præcepta Magister,
Non benè amare notis edocet ille suis.
Dulcia Pierio modulatur carmina plectro,
Materie haud cultis conveniente modis.
Quam benè nectareos numero ligat impare versus,
Tàm malè præceptis nobile nectit opus.
Quos confert Musis splendores, moribus aufert:
Quique deest Arti, carmine candor inest.
Forsan erunt nostræ viduæ fulgore Camœnæ;
Qui Musis deerit, crescet in Arte nitor.
Si malè fortè canam, saltem benè amare docebo:
Quàm benè at ille canit, tàm malè amare docet.
Non molles lusus, teneras nec Phyllidis iras,
Non Paphii pueri spicula cœca canam.
Concinat hæc actus Cytheræa Numine Vates:
Non venit huic Arti præficienda Venus.
Artibus insani Cypris fit Numen amoris.
Vanum Artes vanas Numen habere decet.
Numinis æterni divinum Flamen, Amoris *Invocatio Dei, ac Deiparæ.*
Innocui leges suggere, mitte faces.
Cœlicolum Regina potens, purissima Virgo,
Una inter matres intemerata parens.
Stella mihi niteas: timidam Tu dirige navem,
Te Duce tranquillum findat ut illa salum.
Auspice Te, pulchri Genitrix pulcherrima Amoris,
Quis sit verus Amor, quid benè amare canam. *Excitantur omnes ad bene amandum.*
Florida languenti permixta juventa senectæ,
Accurrat monitis erudienda meis.

Quæ riget extincto juvenili ardore, favillas
    Pectore concipiet cana senecta novas.
Quæ viget, extinctis nocuis ardoribus, ignis
    Innocui ardescet casta juventa face.
Si bene pectus amat, feliciter ardet amando:
    Uritur at miserè, si malè pectus amat.
Ut benè quisquis amet, legat has, quas scribimus, Artes.
    Grata canam. Cunctis insitus hæret amor.

Amor rebus etiam inanimis est insitus.

Frigida nativis ignescunt Sidera flammis:
    In gelido ardores nix fovet ipsa sinu.
Seu fremit insanis agitatum fluctibus æquor,
    Seu tacitis undis littora lambit, amat.
Suspirat, placido quæ murmurat, aura, susurro:
    Illa (reor) placido murmure dicit, *amo*.
Forsan *amo* repetunt, vitreo dum rore madescit
    Arbor, quæ tremulà fronde teguntur, aves.
Rivule, qui serpis querulo per gramina lapsu,
    Non gemeres, esset ni tibi notus amor.
Pallentes violæ pallore fatentur amorem,
    Quæque rubent, ardent forsan amore rosæ.
Manè novo lentis dum spargitur uda pruinis,
    Languida dumque cadit vespere, Chloris amat.

A

Marmora crediderim sensisse Cupidinis arcus,
    Congenità silices incaluisse face.
Orpheus auritas cautes, mollesque Cupido
    Præstitit: iste arcu; præstitit ille lyrà.
Marmora si teneris feriuntur dura sagittis,
    Quis stupor est vulnus mollia corda pati?

Cor hominis amare decet.

Gleba tenax largo cur non solvatur ab imbre,
    Si lapides etiam deflua gutta cavat?
Cur ardens stipulas non urat Cancer inanes,
    Si torret virides arboris ille comas?
Quidquid inops sensus dùm spicula sentit amoris,
    Dives opùm sensus sentiat illa decet.
Caucaseæ præstant cordis si munera rupes,
    Convenit officium reddere corda suum.

Mune-

Munere corda suo solùm funguntur amando;
Semper enim cordis munus amare fuit.
Flamma alitur ventis: alitur cor flamine amoris:
Spirat, amore alas concutiente suas.
Flamma perit, lenis taceant si flamina venti:
Donec amor languet, languida corda jacent.
Languida membra valent, quæ mordet arundo salubris:
Quæ transfigit amor, languida corda valent.
Succumbit morti, cum non indulget amori
Pectus, & est illi vivere, amore mori.
Phœnici vitam dant flammea fata perennem:
Pectora de flammis sunt rediviva suis.
Corporibus suus ignis inest: mens nutrit & ignes:
Igne suo vivunt corpora, mensque suo.
Qualiter exuvias gaudet tractare cruentas
Miles, cùm viduas depopulatur opes;
Non aliter telis animus confossus amoris
Exultat: misero vulnera, tela placent.
Lascivit victus, turmæ victricis ad instar:
Ut victus, victor si fuit ante, dolet.
Quis sapiens, quis fortis, adhuc sine vulnere, amoris
In castris potuit conseruisse manus?

Etiam fortes, & sapientes vicit amor.

Viribus humanis nequeunt, aut arte repelli
Tela, pharetratus quæ jaculavit Amor.
Viribus Heroes Sampson qui vicerat omnes
Concidit aligero bella movente Deo.
Arma Philisteæ solitus deludere gentis
Mentito Dalilæ captus amore fuit.
Isacidis rabidos manus edentaverat ursos,
Montivagas poterat dilacerare feras.
Dextra tamèn victrix, nemorum quæ monstra subegit,
Idalii est vinclis illaqueata Dei.
Artibus insignem Salomonem nulla latebant
Naturæ arcano condita monstra sinu.
Nudus Amor jaculum lunato torsit ut arcu,
Illum Artes subitò deseruere suæ.

Herbarum medicas virtutes noverat: herbis
Sed non sanandum vulnus amoris erat.
Dulcis Amor facili transfigit corda sagittà:
Et tamen haud facili sustinet arte regi.
Nec mirum. Puer est, & lumine captus utroque:
Qui puer, & cæcus qua valet arte regi?
Fallor. Qui mentes hominum bene reddit amantes,
Non est, quo videat, lumine captus amor.

Amor qui bene amantes facit non est cæcus.

Fabula mentiris, cæcum quæ fingis amorem:
Est aliquis cæcus, non tamen omnis amor.
Impuro vittas, puro da lumina amori:
Est hic luce satus, nocte sed ille fuit.
Quam bene nocte satum vittatis pingis ocellis:
Vittatum fingis tàm malè luce satum.
Luce satum potius centeno lumine cinge:
Argum fac, mendax ut videare minus.

Talis Amor non est puer, sed æternus.

Nec puerum credas quem sæcla æterna tulerunt,
Quique gigas cunas temporis antè fuit.
Siderei nondum flagrabant ætheris ignes:
Jam cœlis flammas, qui daret, ignis erat.
Florenti nondum ridebant prata labello:
Jam florens risu vultus amoris erat.
Imperitabat Amor, cùm primùm nubibus altis
Aerium montes inseruere caput.
Ille Cytheriacis matrem non novit ab undis,
Si prius, instabilis quàm foret unda, fuit.
Non igitur puer est: puerum nisi fortè vocaris,
Tempore quod volucri prætereunte manet.
Pondere fessa gravi curvantur sæcula, cursu
Præcipitique simul non reditura ruunt.
Sæcla fit ante licet profugos qui condidit annos,
Non tamen annorum mole gravatur Amor.
Permanet æternæ pubescens flore juventæ,
Multaque dat nobis vulnera, multa dabit;
Nempe suas jaculis gravidas fert ipse pharetras:
Aurea, dum figit pectora, tela jacit.

Hu-

Humanas mentes facibus rutilantibus urit:
Sed rutilant puro, quas habet, igne, faces.
Vulnera, tela, faces patiuntur corda: sed ipsa,
Quæ patiuntur, amant vulnera, tela, faces.
Dote coruscantem tàm divite, nullus, amorem,
Sit quamvis dives dotibus, æquat amor.
At quo tendit? (ais), quo dulci pondere fertur?
Quo flammas victor dirigit ille suas?
Forsitan ad clari metam collimat Honoris,
Ambitione gradus præveniente suos?
Falleris. Idolo qui procidit anxius Aulæ,
Est hic stultus amans: hunc bene amare latet;
Nam cordis reperit strages, ubi gaudia quærit,
Et nece deterius pectore vulnus alit.
Ecquid Honos? animi rutilans est tortor; amicus
Subdolus, & civis seditione potens.
Tranquillam jugulat pacem; fallacibus instat
Blanditiis; mentes irrequietus agit.
Dùm propè conspicitur, distat: velut umbra sequentem
Effugit: atque fugam proximitate tegit.
Sic (puto) contiguis cruciatur Tantalus undis,
Nunquam potandæ naufragus hospes aquæ.
Quam simile est oneri speciosum nomen Honoris,
Tam simile est oneri, quod tegit, omen, Honos.
Non levat invalidos pondus, quos opprimit, artus:
Quæ premit, haud relevat pectora, vanus Honor.
Assiduis animos gravat ille laboribus absens;
Sollicito præsens corda timore gravat.
Non possessus alit dubià spe: torquet alendo;
Nam modò firma, levis creditur ista modò.
Spes nova possessum sequitur: nova gloria mentem
Pulsat inexpletam; fit nova pœna comes;
Quique videbatur titulis saturandus adeptis,
Ad titulos animus vertitur inde novos.
Sic redit è potis sitiens hydropicus undis,
Dumque bibit, rursus quas bibat, optat aquas.

Amor iste non tendit ad Honores.

B

Fercula ſic poſtquam paraſitus lauta voravit,
E ſaturis menſis inſatiatus abit.
Anxia mens dubios quoties ſectatur honores,
Perpetuo languet ſollicitata metu.
Ante pavet celſum ne poſſit ſcandere culmen:
Mox miſero lapſu ne cadat inde timet.
Ardua res apicem ſalebroſi aſcendere montis:
Sed poſt aſcenſum grandius urget opus.
Difficiles aditus ſunt ad ſublimia: Caſus
Poſt aditum faciles ſed juga ſumma parant.
Crebra petunt altas, quatiuntque à vertice turres,
Quæ feriunt parvas fulmina rara caſas.
Deceptus fatuis aulæ ſplendoribus Aman
E trabe funereà triſte pependit onus.
Sejani inſanum deluſit epiſtola faſtum,
Quæ tulit immitis juſſa inopina necis.
Inclitus ob domitum ferro Beliſarius orbem
Imperii conſors bellica jura dabat.
Obſequioſa uni parebant agmina: leges
Signa ſupercilii, verba loquentis erant.
Cœcus ut indixit Fortunæ prœlia livor
Inſtabilem vertit protinus illa rotam;
Arripienſque fugam comites attraxit honores,
Qui prius invicto ſerta tulere Duci.
Tam citò ſtellatam chlamydem non exuit Æther,
E pelago denſas cùm trahit auſter aquas;
Splendida quàm ſubitis caligat Fama tenebris,
Dum parit invidiæ nubila cœca vapor.
Obtentum docti pretio ſudoris, iniquo
Aggreſſore, decus, ſurripiente perit.
Non aliter ſilvæ latebris graſſator opacæ
Exilit, ut rapiat prætereuntis opes.
Obvia ſunt metui, quæ ſunt obnoxia damno,
Cumque metu neſcit regna tenere quies,
Summa quies tantùm felices reddit amantes:
Non igitur fauſti ſunt in Honore dies.

At

At quamvis gelidæ tua ſors formidinis expers
Incurſus nullo poſſet ab hoſte pati;
Non ideò pacis dono fruerere beatæ,
Nec menti requies adforet ulla tuæ.
Nil animo prodeſt ſervorum concolor ordo:
Nil ſepta armato milite rheda juvat.
Quid confert umbella auro contexta, plicatam
Quam geſtat famulus providus ante rotas?
Hos etiam, quos biga vehit temone coruſco,
Cui junctos floccus ſericus ornat equos,
Arrodunt curæ, proſternit languida febris,
Invadit celeri curva ſenecta pede.
Fata immota manent. Properat mors, furis adinſtar,
Et nulli parcens omnibus æqua venit.
Plebejas telas, & fulgida ſtamina Regum
Atropos abſcindit forcipe ſæva pari.
Tam calloſa manus, durum quæ verſat aratrum,
Quàm ſceptro rutilans dextera, pulvis erit.
Fumidus ut tenues vapor evaneſcit in auras,
Ut crebra æſtivà fulgura nocte micant;
Sic volat omnis Honor: Mundi ſic gloria tranſit:
Sic tituli, faſces, regna, trophæa ruunt.
Ecquis amet fluxos, quos offert Mundus, honores,
Si fallit, lædit, tranſit amatus Honor?
Qui bene amare cupit mendax hoc Numen abhorret:
At nondum occulto tutus ab hoſte manet.
Eſt aliud fictum, Regina pecunia, Numen:
Imperium cordis vendicat ipſa ſibi.
Huic ſacra decernit, dicat aras pectoris, ardens
Thus adolet, promit munera turba frequens.
Ne te pelliciat fulvi ſplendore metalli,
Attrahat aut gemmis inſidioſa, fuge.
Ut benè doctus ames, non hæc tàm vilis, amori
Nobilior meta eſt conſtituenda tuo.
Divitias non quærit amor, qui ſpernit honores: *Non tendit ad opes.*
Nam mala divitiæ deteriora ferunt.

C

Sunt pretioſa lues ; jucunda venena, doloſà
    Mixta manu; cordis blanda tyrannis, opes.
Inficiunt animos, & lentà morte fatigant;
    Cor ſervum durà ſub ditione tenent.
Nil ſunt divitiæ, mentis niſi dives egeſtas:
    Redditur inter opes pauper, amator opum.
Non aurà corpus, non auro corda replentur,
    Morſibus indignæ ſollicitata famis.
Eſt aurum rutilæ concretus acervus arenæ:
    Guttula ſunt gemmæ conglaciata maris.
Telluris gremio natura recondidit imo
    Calcanda audaci fulva metalla pede.
Æquoris infidi gemmas celavit in alvo,
    Nè ſit in infido noſtra nitore fides.
Splendida, crede mihi, diſcrimina mentis anhelat
    Quiſquis opûm pelago credere corda parat.
Pectora curarum ſtrident agitata procellis,
    Dum lucri cupidus ventilat illa notus.
Fulmineus ſic frendet aper ſub dente moloſſi:
    Sic rapido crepitat vortice fracta ratis.
Dum recipit candens ferrum ſic unda ſuſurrat:
    Tàm viridans medio laurus in igne ſtrepit.
Poſſeſſo dives ſemper palleſcit in auro:
    Æmulus eſt forſan Numinis ipſe ſui.
Pertimet eſſe miſer: miſer eſt ſed ſpontè timendo:
    Nec tamen hoc miſerum pertimuiſſe timet.
Pertimet eſſe miſer, maneat niſi larga ſupellex:
    Larga ſit illa licet, cogitur eſſe miſer.
Nulla etenim tenſam Libitinæ ſiſtere falcem
    Dona valent, vacuas nulla replere colos.
Congeſtas igitur certus dimittere gazas,
    Æternum tacito pectore vulnus alit.
Semper amat, ſemperque dolet: dolor auget amorem,
    Immaniſque aucto creſcit amore dolor.
Odit verus amor quidquid benè amantibus obſtat:
    Non igitur miſeras quærit anhelus opes.

Hæc

Hæc ubi vitaris quisquis benè amare doceris
Spectra boni, ingentis semina certa mali.
In statione mane: siquidem novus imminet hostis,
Cui sunt illecebræ tela, pharetra doli.
En Venus aurato curru sublimis, olores
Quem ducunt, flores spargit ubique suos.
Præcinctus myrto residet cum matre Cupido,
Clàm miscens fusis spicula sæva rosis.
In partem veniunt pompæ, comitesque triumphi
Astant Blanditiæ, Crapula, Rixa, Joci.
Tincta rubore genas captiva Modestia luget:
Infans cum mœsta flet genitrice Pudor.
Ducuntur juvenes capti, victæque puellæ:
Dat faciles vinclis turba subacta manus.
Pollicitis (nec enim desunt) illecta beatæ
Gens vitæ gaudet subdola plaustra sequi.
It Paris, & repetens promissæ dona maritæ
Argivà sperat pellice posse frui.
Ponè subit flagrans vicino Pyramus igne:
Cum Thisbe ut facilis sit fuga, vota facit.
Hìc Leander adest: non distat saucia Dido:
Ista mare iratum; mite sit, ille rogat;
Scilicet ista timet, Phrygius si naviget hospes:
Heronem amplecti, ni natet, ille nequit.
Dein sequitur Sappho (cur Musa recenseat omnes?)
Percurrens docto pollice fila lyræ.
Festivas ducit delusa caterva choreas,
Clamat, Io, exitii nescia forte sui.
Qui bene amare cupis fatalem hunc effuge currum,
Ne fias Cypriæ præda pudenda Deæ.
Non rapitur nitido vultus splendore decori,
Nec sequitur formæ munera verus Amor.
Non trahitur gemino radiantis sidere frontis,
Hac flammà facibus dans alimenta suis.
Delirat quisquis de casto hæc sentit amore:
Dotibus his capitur luxuriosus Amor.

Descriptio Currus, & triumphi Veneris.

Amor, qui bene amantes facit, non trahitur corporis pulchritudine.

D

Subdolus eſt ſplendor formoſi gratia vultus:
Mentito fallax forma nitore micat.
Dirus ut infauſtâ ſcintillat luce Cometes,
Sic oculi fundunt exitiale jubar.
Ut rigidæ cingunt pœſtana roſaria ſpinæ,
Sic cingit roſeas abdita ſpina genas.
Candida quæ docto per colla errore vagantur,
Aurea, flaventes, vincula crede, comas.
Lactea, inexpletis quæ abſorbes lucibus, ora
Larvatos cineres, alba ſepulcra putes.
Corpora ſunt fragiles congeſti pulveris urnæ,
Et vitro ſpecies æquiparanda venit.
Atteritur ſculptum demiſſo pondere vitrum:
Interit, annorum mole premente, decor.
Dente vorat ſilices, adamantaque tempus edaci:
Frons rabidi immunis quomodo dentis erit?
Non erit immunis. Quam deperis, arida fiet
Paulatim facies: lurida, turpis erit.
Nec ſolùm extremis urgentibus effluit annis
Dulcis, in egregio qui placet ore, nitor.
Ætatis florens etiam dum vernat Aprilis
Forma recens morbis attenuata cadit.
Non aliter gravidæ læduntur grandine vites,
Aut arbuſta novo frigore tacta rigent.
Poma ſolet pariter furtivus rodere vermis:
Sic tineæ lanas exterebrare ſolent.
Æterno quamvìs facies formoſa juventæ
Vere perennaret, non adamanda foret;
Virus enim gratum eſt, & blanda ruina venuſtas,
Siren docta labris illatebrare dolos.
Toxica blanditiis miſcet, foveaſque profundas,
Quas facit, ut lateant, fronde virente tegit.
Melle voluptatis cyathos, queis fata propinat,
Oblinit, ut capiat ſumma labella favis.
Qualiter obducto piſces falluntur ab hamo,
Sic animus blando fallitur ore miſer.

Occulit eſca hamum: fraudes lepòr occulitoris:
Dum placet illa, nocet: dum nocet iſte, placet.
Auribus iſte placet, veluti placet illa palato:
Enecat hic mentes, corpus ut illa necat.
Dentis ebur tacitis ſeu condunt ora labellis,
Seu, magis ut niteat, pulchra labella movent;
Rete animis ſemper parat inſidioſa venuſtas,
Atque immota tegunt, motaque labra dolos.
Laſcivis tremulus ſeu fulget riſus ocellis,
Nubila ſeu ficto lumina rore madent;
Dirigit has lacrymas, regit hos fallacia riſus:
Rete, ut decipiat, tendit utrumque Venus.
Fallere monſtra fuit ſuccinctæ cura Dianæ:
Aſt homines Veneris fallere cura fuit.
Quis ſtupor eſt animis igitur ſi retia tendat,
Dum ſic officio fungitur ipſa ſuo?
At poſtquam vanæ decepit imagine formæ,
Jam decepta gravi corda dolore quatit.
Pallida tunc ſubiti percurrunt ora timores:
Exulat inſano è pectore pulſa quies.
Zelotypo mox corda gelu conſtricta rigeſcunt;
Cumque magis flagrant, tunc mage preſſa rigent;
Humida cum ſiccis ſic dimicat unda favillis,
Cum calido ut gelidus pugnat amore timor.
Sic algens tepidos Boreas bacchatur in Auſtros,
Cùm ſimul iratis incubuere vadis.
Quiſquis amat ſimili redamari vellet amore:
Sed quis ſcire valet nùm redametur amans?
Forſitan ille fidem verbis præſtabit amicis?
Fallere verba ſolent, pondere nempè carent.
Ante retro Xanthi (dixit Paris) unda redibit,
Quàm Paris Oenonen deſeruiſſe velit.
Unda tamen Xanthi fuerit quin viſa reverti,
Oenonen potuit deſeruiſſe Paris.
Æneas profugam verbis pellexit Eliſam:
Plena doli cauſam verba dedere necis.

Cre-

Credulus an madidis fletu confidet ocellis ?
Queis lacrymæ fallant, addidicere modos ;
Phyllida Demophôon dùm linquere puppe parabat,
Lumina in implacidas falsâ liquabat aquas.
Phyllida Demophoôn sed non redamabat amantem:
Vela etenim ventis non reditura dabat.
Hypsipilen Jason certus dimittere flebat:
Ille tamen fictus flebilis imber erat.
Nulla fides verbis, nulla est adhibenda dolori:
Ludere verba sciunt: scit simulare dolor.
Nec lacrymis igitur, nec verbis credere doctus,
Semper erit dubius, num redametur, amans.
Non sic longævis tabescunt febribus artus,
Languet ut ancipiti mens agitata metu.
Non ità pulsatæ crepitant aquilonibus undæ :
Non ita canna, noto concutiente, tremit.
Semper amans dubius flammas an amata rependant
Corda suis flammis, semper amore gemit.
Sistitur ante oculos rivalis sæpe gementes :
Tunc succensa novo corda furore fremunt :
Pectora sæpè gelu dilecta rigescere aperto,
Excussas tædas, tela repulsa videt.
Concessos aliis sibi pactos cernit amores,
Et sibi juratam deperiisse fidem.
Excitat insanas tunc indignatio flammas:
Frœnat at insanas pristina flamma faces ;
Iram vincit amor : furit ira, ut vincat amorem :
Ira modò est victrix : est modò victor amor.
Odit, amatque simul. Nollet quod perdit amare :
Ast odisse illud, quod placet, inde nequit.
Oppositi referunt alterna trophæa furores :
Sæpè odit nolens : sæpè coactus amat.
Intereà dubiis actum conflictibus horret
Pectus, ut in medium pulsa carina fretum ;
Mordaces sensim rodunt præcordia curæ,
Ut Vultur Tityi viscera rodit edax.

Irrequieta gravant immanes corda labores,
    Qualiter æternum Sisyphon urget onus.
Quid veras fictis cruciatibus exprimo clades?
    Non facit ad nostram fabula vana chelym.
Vos facunda truces suspiria dicite pœnas,
    Ingemit infelix queis oneratus amans.
Difficiles risus, vigilatæ dicite noctes,
    Tædia quot soleant languida corda pati.
Non tot Cimmeriâ coeunt regione tenebræ:
    Gargara non vestit tam numerosa seges.
Æquoris in ripâ non tot glomerantur arenæ:
    Non tot cœlesti sidera in Orbe micant.
Monstra minora puto libycis latitare sub antris,
    Quàm mala, fallaci quæ sub amore latent.
Hoc ipsum impuri Naso præceptor amoris
    Lascivæ fassus versibus Artis, ait.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hyblâ,
    Cærula quot baccas Pallados arbor habet.
Littore quot conchæ; tot sunt in amore dolores:
    Quæ patimur, multo spicula felle madent.

Ovid. de Arte amandi lib. 2.

Verus amor, mentes bene reddere doctus amantes
    Felices reddit quos bene amare docet.
Non igitur formæ capitur splendore fugacis,
    Si miseros tantùm forma caduca facit.
Gaudia tàm crebris obsepta doloribus horret:
    Illita nàm dulci spicula melle jacit.
Scire cupis faciles quo dirigat ille volatus?
    Conspice sidereæ regna beata plagæ.
Scire cupis quod amet, quo delectetur amando?
    Erige ad astra oculos: Concipe mente Deum.
Nil majus, melius, nihil est præstantius uno,
    Quo bona cuncta Bono: quo sine nulla bona.
Numen habet stabiles, rapiet quos nullus, honores:
    Æternas gremio divite servat opes.
Noster Honor Deus est, noster thesaurus: in ipso
    Non fluxæ gazæ, non periturus honor.

Amor, qui bene amantes homines reddit, in Deum tendit.

E

Amans Deū, possidet omne bonum.

F

Ipse

Ipſe regit terras : nec terris diſſitus imis
Cœleſti ſolium collocat axe potens.
Ipſe rotat cœlum : nec ſummo diſſitus axe
Terreſtrem ſervat ſub ditione globum.
Præſidet æthereis, terrenis præſidet oris:
Ipſe regit, complet, ditat vtraſque plagas.
Regna ſibi ſubdit, Reges qui ſeligit unus
Rex Regum, Mundi Rector, & Orbis amor.
Regem igitur Regum claros qui poſcis honores
Dilige: Regna cupis? Regna beata dabit.
Quæris opes? Opibus ſed longè eſt ditior ipſis
Author opum: Authorem dilige: dives eris.
G
Numen ama, ſi pulchra cupis. Nil pulchrius illo,
Quo renitente, Orbis cætera pulchra nitent.
Aſtris ſi rutilat cœlum: ſi floribus halans
Ridet ager: claris ſi micat amnis aquis;
Sunt formoſa, ſui quia ſunt Authoris imago:
Aſtris, flore, undis pulchrior Author erit.
Quidquid habet facies jucundi rara decoris,
Vix decor eſt, primo deque decore venit.
Sic oritur parvus magno de flumine rivus:
Sic micat ingenti nata favilla face.

Ipſæ res inanimæ Deum amant.

Quæ ratione carent, occulto percita motu,
Innatoque æſtu fervida, Numen amant.
Sidera, nix, æquor tacitum, ſeu fluctibus actum,
Aura gemens, volucris garrula Numen amant.
Numen amat querulus per gramina rivulus errans,
Prata, roſæ, violæ, lilia Numen amant.
Viſceribus condunt lapidoſis marmora flammas,
Scintillas fundunt, ut ferit illa chalybs;
Ingenitoque citæ volitant ardore favillæ:
Scilicet ipſa etiàm marmora Numen amant.
Obſequioſa Deo famulantur ſingula: parent
Juſſibus Authoris terra, poluſque ſui.
Signiferi medio graditur Sol tramite: cæptum
Abſolvit conſtans, nec remoratur iter.

Vel-

Velleris aurati (duce quo via flexa coruscat)
Ut caput ignivomis scandere pergit equis;
Ver prodit lætum. Frondes tunc induit arbor:
Floribus arua placent: dulce queruntur aves.
Succedit spicis flavens cerealibus æstas,
Torrida dum Cancri brachia Currus adit.
Autumnus properat, cum Libræ transit ad astrum
Clara quadriga: Caprum dum petit, instat hyems.
Sic anni certo volvuntur tempora motu,
Præscriptæ metam Sole tenente viæ.
Hunc mensis spatio peragit Latonia cursum:
Ad latus est niveis semita pressa rotis.
Hâc errant alii variâ levitate Planetæ,
Consitaque inferius corpora cuncta regunt.
Dum pariter servant positos à Numine fines
Tempora, Sol, Phœbe, sidera Numen amant.
Numen amant, & amare docent. Nam lumine, motu H
Non cessant homini dicere, *Numen ama*.
Noster amor tendit quo condita quæque feruntur:
Illa Deo parent: expetit iste Deum.
Solus namque Deus felices reddit amantes: I
Delicias omnes continet omne Bonum.
Fons Deus est lymphæ, quæ vitæ est larga perennis: *Deus assimilatur Fonti.*
Ægra est hoc vivo fonte levanda sitis.
Vitales quisquis semel has potaverit undas,
Potatas iterum quæret anhelus aquas.
Semper inexpleto puros bibet ore liquores,
Tuncque magis sitiet, cum magis ille bibet;
Non reditura sitis fontis pelletur ab undâ:
De poto veniet sed nova fonte sitis.
Haustum dulcis aquæ fastidia nulla sequentur:
Quo mage plenus erit, dulcior haustus erit;
Qui cupit æterni laticis libare liquores
Ætherei puro Numinis igne flagret.
Aurato sacri jaculo confossus amoris
Inveniet medicas, queîs relevetur, aquas:

Non

Non aliter celeri transfixus arundine cervus
Vicini lymphas fontis anhelus adit.
Vena perennis aquæ cœlestes irrigat oras,
Et jugi superos ubere lactat agros.
Almus Amor niveis fontem circumvolat alis,
Nectar ut ad nostras deferat inde plagas.
Sed diversus Amor non est à Fonte beato:
Dum se Fons adamat, fonte perennat Amor.
Unicus est, rivis nec Fons sejungitur ullis:
Unicus est: triplici par tamen ille fluit.
Non perspecta sacri miracula fontis adoro,
Sidereà clarè perspicienda Domo.

Deus amanti dulcis, & suavis.

Deliciis rapior, quibus est mens naufraga. Sed quis
Delicias referet, quas habet ille latex.
Felices animæ semper vernantis Olimpi,
Quæ teritis molli florida prata pede;
Dicite quot saturas perfundunt gaudia mentes:
Numine sit quantùm, dicite, dulce frui.
Illa tamen labiis oblectamenta disertis
Expromi nequeunt, aut ratione capi.
Si quis in exilio, miseràque hac valle dolorum
Delicias Patriæ sugere corde cupit?
Numen amet. Cordi præbet se Numen amanti:
Felix possesso Numine pectus erit.
Prægustata etiam fragili sub carnis amictu
Gaudia Virginei commemorate chori.

SS. Teresia, & Maria Magdalena de Pazzis in testes inductæ

Carmeli geminæ benè amandi laude magistræ,
Una Arni, Hesperiæ ast altera, grande decus,
Pandite quàm dulci languebant saucia telo,
Quàm carà ardebant pectora vestra face.
Vivebam, memini (concors sic utraque fatur)
Vita mihi fuerat sarcina facta gravis;
Nam modò quam vivo cupiebam vivere vitam,
Et modò possessi Numinis ore frui.
Felicem vitam sed vita caduca negabat,
Et corpus carcer, quo retinebar, erat.

Spon-

Sponſa, ſed exul eram, patriis nam diſſita ab oris:
Numen in exilio dulce levamen erat.
Numinis ora mihi perſæpe videnda dabantur;
O' jucunda oculis Numinis ora meis!
Cernebam variâ, fateor, ſub imagine; cerni
Sic oculis tantùm ſplendida forma poteſt.
Pulchrum erat at variâ viſum ſub imagine Numen;
Pulcher nil illo pulchrius orbis habet.
Sub variis Sponſum formis ſpectare juvabat,
(Semper enim pariter, Sponſe, decorus eras.)
O' mea Lux, toto ſpectabilis Orbe refulgens!
O' jucunda oculis Numinis ora meis!
Lux mea corporeis aderat non ſemper ocellis:
Menti aderat ſemper conſpicienda tamen.
Sivè coacta cibos ſumebant ora paratos,
Membra dabam vigili ſeu relevanda toro,
Aſtantis dulci rapiebar imagine Sponſi:
Sponſus erat requies mentis, & eſca ſimul.
Languebam quoties languere juvabat amantem;
Languenti flores turba beata dabat,
Angelico lecti fragrabant pollice flores:
O' flores animi grata medela mei!
Ambroſias riguis cœli de fontibus hauſtas
Utraque Carmeli pura columba tace.
Mentis inaſſuetæ fugiunt hæc gaudia vires,
Sint licet expertæ gaudia nota nimis,
Jugiter æthereo rorantes fonte liquores
Ut quis, adhuc vivens, experiatur, amet.
Experietur amans: ſed quæ experietur amando
Facundus poterit promere nullus amans.
Irrita ne celeri vento mea vota ferantur,
Quàm ſit dulcis amor Numinis ore premam;
Divino pandam non eſſe in amore dolores,
Queîs Mundi fallax excruciatur amor.
Non gemit iſte gravi, levis ut gemit ille, timore:
Non dolet iſte, velut languidus ille dolet.

Dulcedo divini amoris eſt ineffabilis.

In amore Dei nullus eſt dolor, aut timor.

Purus

Purus Amor pūris ridentia prata ligustris,
Arvaque perpetuo vere beata colit.
Pollice inoffenso legit alba ligustra: doloris
Illa etenim spinis pura ligustra carent.
K Numen ama. Prope semper habes: nam vivis in ipso;
In te Numen adest. Te movet, implet, alit.
Non dolus, aut livor, non auferet hostis amatum,
Non senium, neque mors: Junget at ista magis.
L Quod cupis ipse, alii cupiunt in amore sodales.
Rivalem nullum, quem verearis, habes.
Nulla sacri lymphas torrentis meta coarctat.
Hæ diffunduntur, quin minuantur, aquæ.
Oceanus terras undæ ditissimus ambit:
Et tamen ipse suis flumina ditat aquis.
Sidereæ rutilant Phœbeo lampades igne,
Quin trahat hic clarum luce minore diem.
Sumimus assiduè tenui de lumine lumen;
Nec minor in tenui lumine splendor inest.
Plurima fit quamvis, vocem quæ combibit, auris,
Integer in multâ fit tamen aure sonus.
Qui maris est, solis, splendoris, vocis, & Author,
Nescius imminui prodigus ipse sui est.
Innumeris totum se Numen amantibus offert:
Cuncta frui toto Numine corda valent.
Purus amans puro socios in amore requirit,
Dumque flagrat, comites optat habere faces.
Non hostes reputat, dilectos censet amicos,
Quos idem castis ignibus urit amor.
Innocuis gaudet transfigi corda sagittis,
Dumque repulsa videt spicula jacta, dolet:
Quàm doleat fletu rigui testantur ocelli,
Et gemino doctæ fonte natare genæ.
Fervida testantur communis vota salutis,
Quæ flagrans cupidi pectus amantis alit:
Leniter impulsas cœlesti flamine mentes
Nulla procellosi concutit aura metus.

Sic

Sic navis fertur plenis ad littora velis,
Tranquillas Zephyri cùm moderantur aquas.
Quisquis es haud dubites redamari à Numine: frustrà
Ne redamere times. Ut redameris, ama.
Deum amans à Deo redamatur.
M
Nunc, si Numen amas, redamat te Numen amantem.
Sit tuus ut Sponsus, nil, nisi corda, petit.
Non amplas dotes, dotalia pectora poscit:
Se tibi nunc junget, si modò corda dabis.
Qualiter agrestis compulsus amore puellæ
Rex adit incultæ rustica tecta casæ;
Consuetosque jubens è fronte recedere fastus
Flexanimos risus blandus ad ora vocat.
Dein trahit accenso placidas è pectore voces,
Ut timidam vultu, lumine, voce juvet.
Linque suburbanos ruralis nympha recessus:
Suspirat formam Regia nostra tuam.
Exue villosas, pretiosas indue vestes,
Quas Phrygia intexto vere colorat acus.
Urbibus hæc facies magis est, quàm ruribus apta:
Desere rura: Urbes perge beare meas.
Desine fiscellas viridi contexere hibisco:
Tàm niveas poterunt sceptra decere manus.
Fagineis teneri lassantur frondibus artus:
Plumeus alba cupit membra fovere torus.
Rura, casas, calathos, & stramina desere. Tantùm
Cor peto: Regna dabo. Dilige: Sponsus ero.
Mentibus haud aliter nostris illabitur Orbis
Rector, & ad thalamos allicit usque suos.
Intemerata animæ connubia spondet amanti;
Puraque castus Hymen fert alimenta faci.
Cor petit, ut donet cœlestis prœmia regni.
Dilige. Pelle metus. Si redametur, amat.
Talia promittit qui falli, aut fallere nescit:
Non error tegitur mente, nec ore dolus.
Errandi, sapiens cùm sit, dignoscitur impos:
Dùm simul est verax, fraudis & impos erit.

Ergo Fidem certam præsta : ſpem concipe firmam :
    Nempè potens, clemens, eſt tibi, fidus, amans.
Dilige. Cor redamans cordi concedet amanti,
    Donaque pollicitis uberiora feres.

N

Si nos namque Deus, cùm non eſſemus, amavit;
    Dum ſumus, à nobis ſi redametur, amat.

Mundi creatio Dei amorem erga homines pandit

Quæ miro obtutum rapit ordine machina Mundi,
    E nihili vacuo prodiit ampla ſinu.
Nil erat aurifero ſcintillans lumine Cœlum :
    Nil erat argentum, mobilis unda, tuum.
Non hortos Pomona, Ceres non arva colebat :
    Non dabat hæc fruges ; poma nec illa dabat.
Tunc nil Chloris erat, roſeis redimita corollis,
    Quæ modò per virides expatiatur agros.
Ex nihilo aſtra, undæ, fruges, pomaria, flores
    Artificis dominà proſiluere manu.
Condidit hæc, nobis ancillaretur ut orbis,
    Imperioque hominis ſubdita cuncta forent.
Subdidit huic volucres, alarum verbere doctas
    Leniter aerias exagitare plagas.
Subdidit huic piſces, pinnarum remige doctos
    Findere nativas, queis vegetantur, aquas.
Subjecit pavidos lepores, tauroſque feroces,
    Alipedes damas, lanigerumque gregem.
Immenſo quæcumque ſinu complectitur orbis,
    Æther, ſeu tellus, ſeu mare quidquid habent,
Subdita ſunt homini, magni quem Regis ad inſtar
    Condidit Artificis prodigioſa manus.
Prodiga, Numen amans, nimis eſt tua dextra creatrix!
    Ah nimium nobis ingenioſus amans!
Limus eram. Fecit de limo corpus ; & illi
    Hoſpitium formæ nobilis eſſe dedit.
Spiritus informes hominis vegetaret ut artus,
    Numinis efflantis miſſus ab ore fuit.

Pandit item animæ creatio.

Spiritus eſt noſtri vivax Authoris imago :
    Tendere ad Authorem nititur ille ſuum.

Præ-

Prægravis ad centrum valido lapis impete vergit;
Et levis ad centrum tu quoque flamma volas.
Tendere posse datur donis cœlestibus illuc,
Quo fractæ vires tendere posse negant.
Si nos ergo Deus, nondum, dilexit, amantes,
Cur non, à nobis si redametur, amet?
Quàm nos dilexit susceptæ carnis amictus,
Bethleique docent hospita saxa specus.

Verbi Incarnatio, & Christi Nativitas Dei amorem testantur.

Vagit ibi Verbum: premit ubera Rector Olimpi:
Lumina, queîs radiant sidera, fletus habet.
Edere vagitus, lac sugere, fundere fletus
Divinum puerum, quo flagrat, urget amor.
Vagit, ut exoret veniam: lac sugit, ut albis
Corda stolis donet: plorat, ut illa lavet.
Lacrymulis guttas pretiosi sanguinis addit:
Balnea sic fletu, lacte, cruore parat.
Rivulus est, pueri rorans è vulnere, sanguis:
Fluminis instar erit, qui fluet inde, cruor.
Vulnera sanguineis labiis testantur amorem:
Vulnera in assumpto corpore multa patent.

O

Idem præstat Christi Passio.

Conspice divino manantia membra cruore:
Mundum Numen amat, dicere membra puta.
Cerne caput rigido lacerum diademate: Mundum
Numen amat, lacerum dicere crede caput.
Sic resonat miserans, dum scinditur aura flagellis.
Marmora sic resonent scissa dolore reor.
Id repetunt funes, spinæ, crux, lancea, clavi:
Pignora in his mundus certa salutis habet.

P

Eucharistia pignus est amoris Dei.

Certa habet. At nimii, quo nos dilexit, amoris
Signa Deus nobis uberiora dedit.
Quippe suum voluit sub panis imagine corpus
Tradere, quo languens mens recreanda foret.
Hìc jucunda sui statuit monimenta doloris:
Ætheris hìc epulas, deliciasque parat.
Mater amans natos gremio tenet, ubere nutrit:
Quam tribuit vitam, lacte, sinuque fovet.

Q

Carne suâ pascit, potatque cruore renatos,
    Nutricis, Verbum, juraque matris habens.
Sic manet in nobis, ut nos maneamus in ipso:
    In nobis vivit: vita fit ipse Deus.
Ante mori voluit pro nobis nescia mortis
    Vita: modo in nobis vivere vita cupit.
Ecquis amans paris argumenta reliquit amoris?
Es nimis erga homines ingeniosus amor!

Alia divini amoris indicia.

Tantillos tantum nos dilexisse beati
    Mirantur proceres: sed mage amare reos.
Diligit implicitos culpis, dum dona ministrat,
    A culpis valeant ut revocare gradum.
Muneribus cumulat cumulantes crimina: promptam
    Erranti veniam, si petat iste, dabit.
Quamvis ut murex, aut vermis noxa rubescat,
    Ablue: mox lanæ, vel nivis instar eris.
Allicit aut placidâ, vel terret voce minaci;
Blanditiæ, & rigidæ sunt ab amore minæ.
Æternas pœnas, æterna aut præmia spondet;
    Officium cupidi semper amantis agit.
Sæpe animas sequitur per devia lustra vagantes,
    Electi ut reduces sint ad ovile gregis.
Sic vigilans ovibus Pastor fugientibus instat,
    Ne fugiens avidis agna fit esca lupis.
Supponens humeros, ad caulæ lætus asylum
    Inventas extrà pascua gestat oves.
Ingemit è cordis pulsus statione rebellis,
Ut gemit à Sponso Sponsa relicta novo.
Diligit hæc Sponsum: quia diligit, esse relictam
    Conqueritur: redeat, desinet ipsa queri.
Nos divinus amans cum diligat, esse relictus
    Conqueritur: lætus, si redeamus, erit.

Filii Prodigi parabola.

Prodigus ut juvenis patrias remeavit ad ædes,
    Festivæ plausus signa dedere fores.
Plura revertenti genitor dedit oscula nato,
    Procubuitque super colla petentis opem.

Cal-

Calceus eſt pedibus, digito datus annulus: alba
Lata chlamys, dapibus menſa onerata fuit.
Gaudia congeminant aulæ ſtellantis alumni,
    Pœnitet ut culpæ ſuccubuiſſe reum.
Dulcia cœleſtis reduci Pater oſcula præbet,
    Et miſerum amplexans induit, ornat, alit.
Ante Patris, juſti quam munera Judicis implet:
    Quos ferit ut Judex, ut Pater ante monet.
Indulgere reis magis ipſe precantibus optat,
    Quàm veniam ſupplex optet habere reus.
Sic puerum matris dum cædit dextra moleſtum,
Flet puer, ignoſci voce tremente rogans.
Victa parens flenti magis optat parcere nato,
    Quàm cupiat natus parcat ut illa ſibi.
Expectat patiens portus repetamus amicos,
    Emergatque doli fluctibus acta ratis.
Non ſic expectat ſylvis detentus opacis
    Hoſpita, Venator; linquere luſtra feras.
Non ita piſcator caput exertare, ſub undis
    Cùm trepidi piſces delituere, cupit.
Sæpe Deus, noſtræ ferret dùm tædia vitæ,
Noſtra foret docuit quàm ſibi grata ſalus.
Hoc multis ſtudium ſignis patefecit: at unum
    Sit modò de multis commemoraſſe ſatis.
Hìc ubi contiguus Sichar vernabat agellus,
    Dives aquæ puteus, marmore ſeptus, erat. *Samaritanæ converſio.*
Marmoreo cœleſtis Amans reparanda ſedili
    Membra dedit longæ feſſa labore viæ.
Fervidior medium Titan properabat ad axem,
    Squallebatque, cibis interitura, fames.
Sedatura ſitim mulier Samaritis ad undas
Non emptas rigui fontis anhela ſtetit.
Occultos ægræ flagrans depellere morbos,
    (Languida flagitiis nam Samaritis erat.)
Languores retegit, verbiſque medetur amicis:
    (Sic erat infirmæ reſtituenda Salus.)

Hauſtum poſcit aquæ jugis fons prodigus undæ,
Qui fluit æternis, non minuendus, aquis.
Hauſtum poſcit aquæ, ſitiens ut fœmina poſcat
Illimes fontis nobilioris aquas.
Negligit inſtructæ jejunus fercula menſæ:
In ſermone cibum, quo relevetur, habet.
Nec mirum. Cupiens ægris donare ſalutem
Mentibus; haud alias eſurit ipſe dapes.
Vectibus infractis Erebi, Ditiſque ſubacto
Imperio, miſeris ſolvere vincla reis,
Æthereaſque fores, noxà, reſerare, peremptà,
Hæc fuit una fames Numinis, una ſitis.
Quos reperit vinctos, quos ſervos Numen amavit:
Cur non, quos ſolvit, quoſque redemit, amet?
Pulcher amans fœdos, locuples dilexit egenos:
Cur non, quos mundat, quos locupletat, amet?
Quàm dulci præſtet, quem diligis, indole Sponſus,
Pandit in ingratos officioſa manus.

Beneficia à Christo præſtita Judæis ejus amoris indicium.

Cum Judæa furens præcluderet oſtia cordis,
Ne pareret fructus auribus hauſta fides;
Addidit æternus verbis portenta magiſter,
Ut captis oculis mens quoque victa foret.
Scilicet auditum ſurdis, mutiſque loquelam,
Applauſus turbà congeminante, dedit.
Sæpe oculis hominum nativà nocte ſepultis
Optatum tribuit cernere poſſe diem.
Condita nunc buſto, pullis modò vecta feretris
Vitali juſſit corpora luce frui.
Tartareas ſuperis legiones expulit auris,
Truſit & in nigros agmina pulſa lacus;
Naturæ Dominus, Dominuſque eſt agnitus Orci:
Procidit illa ſtupens: corruit iſte fremens.
Percita ſed rabido livore rebellis Idume
Inceſſit diris cœlica ſigna probris.
Prodigia incuſans, veluti præſtigia, virus
Invidiæ in Regem fudit iniqua ſuum.

Ille

Ille lacessitus pro damnis dona rependit :
Occidi placidæ pertulit instar ovis.
Nàm velut ora premunt coràm tondente bidentes,
Utque silens aris sistitur agna sacris ;
Sic quos muneribus cumularat Victima Mundi
Lictores potuit sustinuisse tacens.

Mors Christi, ejusque circumstantiæ sunt amoris argumenta.

Tolle oculos mentis quo Golgotha prominet : illic
Divini certum pignus amoris habes.
Vita inter properæ languebat brachia mortis,
Barbarie horrorem conciliante neci.
Hauserat immanes lato cratere dolores :
Siccus erat, plenus cùm foret antè, calix.
Pœnarum cyatho vacuo sitis integra mansit :
Nam sitiebat adhuc morte juvare reos.
Marmoreis gemitus edebant saxa medullis :
Turba tamen fremitus stragis anhela dabat.
Condiderat rutilum cœcà caligine currum
Phœbus, & atratis pallidus ibat equis.
Lumina, ne diræ cædis spectator adesset,
Velarat : tenebræ signa doloris erant.
Livida tortorum facies squalore rigebat :
Ardens fœda priùs tinxerat ora furor.
Vindictam cœlum tenebris, & saxa fragore
Cædis in Authores tunc petiisse reor.
Cædis at Authores transfixum Numen amabat,
Nempè Patri supplex has dabat ore preces.
Justa tui, Genitor, suspende flagella furoris :
Spicula confringat victus amore furor.
Ultricem Pietas exarmet fulmine dextram :
Plasmatis, illa, tui, cùm misereris, ovat.
Grandè meæ mortis scelus admisere Ministri :
Qualibet est tanto crimine pœna minor.
Sed tua delictis præstat clementia cunctis ;
Dumque etiàm parcis, nosceris esse potens.
Insuper attenuat diras inscitia noxas,
Ad veniam faciles sternere docta vias,

Tempora quæ spinis, quæ fodit corpora flagris,
Quæque parat clavis ferre caterva necem,
Ignorat quid agat. Si nosset, sanguine iniquas
Non foret ausa meo contemerare manus.
Parce, Pater, miseris; cæcis ignosce: cruoris
Voce, ut dimittas, vulnera aperta rogant.
Carnifices patiens si Numen amavit; amantem
Te redamabit ovans. Ut redameris, ama.
Jam Deus in socium nascens; moriturus in escam;
In pretium moriens, se tibi sponte dedit.
V Se quoque regnantem mercedem tradet amanti.
Ergo amat. Ut redames vult, jubet, orat. Ama:
Numen quisquis amas, certò redamabere. Nullus
In puro timor est, nullus, amore, dolor.

Discrimen inter delicias terrenas, & cœlestes.
X

Deliciis quia corda beat cœlestibus: illæ
Non latitans, fluxa ut gaudia, virus habent.
Non possessa placet cordi terrena voluptas:
Vix possessa parit tœdia, felle madet.
Non possessa animus cœlestia gaudia spernit:
At possessa petit: tunc magè nempè cupit.
Purus amor (fateor) nimis est diversus ab illo,
Quem sequitur lasso stulta caterva pede.
Hos inter qui nosse velit discrimina amores,
Queîs resonant cautes, combibat aure sonos.
Massiliæ reboant humanis vocibus antra:
Hospita Massiliæ Magdala saxa colit.
Indomitis habitata feris spelæa pererrat:
Nec timet indomitas incomitata feras.
Corpus aberrantes velant sine lege capilli:
Crediderim potius corporis umbra foret.
Humanam referunt vix membra exesa figuram:
Arida nam tenuis contegit ossa cutis.

Sancta Maria Magdalena è Massiliæ specu loquens inducitur.

Saxa tamen dicunt, non est hæc corporis umbra:
Fœmineos reddunt scilicet illa sonos.
Hei mihi! (sic memoris nativa silentia rumpit
Magdala dum divi vulnus amoris alit.)

Hei

Hei mihi! quam cœcis ardebam perdita flammis,
Divus Amor nondùm cum mihi notus erat.
Optabam vanæ splendore nitescere formæ,
Et pulchrà fictas vincere fronte Deas.
Arcus erat cilium, quo tela vibrabat ocellus:
Arcus erat labium: missile risus erat.
Arte labella, oculos (quis crederet?) arte movebam;
Conscia cum labiis lumina fraudis erant.
Crinibus, ore, oculis, gemmis, auroque placere
Conabar stultis insidiosa procis.
Lætabar placuisse aliis, & cura placendi
(Me miseram!) Sponso non erat ulla meo.
Parce mihi dilecte, precor, mitissime parce:
Nunc tibi, serò licet, displicuisse dolet.
Ut te cognovi, rerum pulcherrime, amavi:
Ah! si te nossem, Sponse decore, priùs.
A Mundo, ut novi, nunquam reditura, recessi:
Cur te non novi, subdole, cauta prius?
Gaudia mundus inops simulabat plurima: nulla
Mundus inops miseræ gaudia vera dabat.
Sic cupidum sterilis Dominum deludit agellus:
Sic nubes siccam transfuga fallit humum.
Ore dabam risus, gemitus sed corde premebam:
Ille novi risus causa doloris erat.
Corda modò exultant, rorant dùm lumina fletu:
Rorantes oculi gaudia cordis alunt.
Mens inter saturæ languebat fercula mensæ:
At modo jejunis faucibus illa viget.
Saxea tranquillæ sunt prodiga strata quietis:
Tam placidam mollis non dabat antè torus.
Frigora non lædunt animum: priùs ille rigebat
Purpureà tepidos veste fovente sinus.
Corpus erat pulchrum: mens pulchro in corpore turpis;
Turpis erat vitiis scilicet illa suis.
Fugit ab ore decor: lætor fugisse: decorem
Ah! quot surripuit mentibus ille decor.

In-

Incompti multo ſordeſcunt pulvere crines;
Et mage, quàm nardo cùm nituere, placent:
Cerno cavas fletu (ſpeculum ſunt flumina) malas:
Gaudeo ſitque cavis culpa ſepulta genis.
Membra gelu Boreas, & Sirius igne flagellat:
Geſtio. Sum Sponſo ſic magis apta meo.
Non formoſa aliis, tibi ſoli, Sponſe, videri
Pulchra volo: Solus tu mihi, Sponſe, places.
Fallacem Mundi quiſquis ſectatur amorem,
Neſcit quid ſit amor, nec bene amare cupit.
Divus Amor tantùm felices reddit amantes,
Cœleſti ſolus nectare corda beat.
Ille roſas manibus, ſpinas ſed cordibus offert:
Dat manibus ſpinas, cordibus iſte roſas.
Quas fert ille, roſæ, ſunt ſpinea ſerta dolorum:
Quas fert hic, ſpinas grata roſeta puto.
Sperno roſas Mundi, ſpinas & Numinis opto:
Gaudia ſunt ſpinæ, tædia noſtra roſæ.
Spinea ſerta meus (reminiſcor) Sponſus amavit:
Corda mihi Sponſi pungite ſerta mei.
Dum tales, ſociis lacrymis, dat Magdala voces,
Succiduis genibus languida facta cadit.
Languida amore cadit: ſed cœlica turba cadentem
Erigit, exanimi florida fulcra parans.
Lilia florilegæ ſpargunt fragrantia dextræ,
Languenteſque ſinus imber odorus alit.
Saxa cavernarum ducunt aurita choreas,
Angelico voces emodulante choro.
Maſſiliæ gaudens dum plaudit Olimpus amanti,
Quis ſit verus amor, quid bene amare probat.
Appenſis igitur fidibus ſubſiſte parumper
Muſa: iterum ſumes, quæ modò, plectra, ſilent.

Se-

Selectæ Patrum Sententiæ.

Nihil est tam durum, atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. D. August. t. 1. De moribus Eccl. Cath. lib. 1. c. 22. n.41. A

Ars est artium Ars amoris, cujus magisterium ipsa sibi retinuit Natura, & Deus Author Naturæ. Bern. lib. de Nat., & dign. am. div. c. 1.

Est Amor vis animæ, naturali quodam pondere ferens eam in locum, vel finem suum. Bern. ibid.

Honores, & divitias cum requisieris, non continuò, si volueris, habebis. D. Aug. tom.4. p.2. enar. in Psal.102. num.5. B

In Honorum cupiditate quantæ spinæ? Aug. ibid. n. 17.

Non amandum est quod manenti, & fruenti amori auferri potest. Aug. tom. 6. l. de div. quæs. q.35. n.1.

Miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur, cum eas amittit, & tunc sentit miseriam, qua miser est, & antequam amittat eas. D. Aug. tom.1. Conf. lib.4. c.6. n. 11.

Ibi labor, ubi multa quæruntur, & diliguntur, quibus adipiscendis, atque retinendis voluntas non satis est, quià consequentem non habet facultatem. D. Aug. t. 2. ep.127. num.5.

Habeas honorem, habeas dignitatem. Et ubi erunt ista omnia, cùm mors venerit? D. Aug. tom. 6. Serm. de disc. Chr. c.11. n.12.

Pecunia te non facit beatum. D. Aug. tom.6. Ser. de disc. Chr. c. 10. n. 10. C

Dicimus pauperes avaros, semper inhiantes, & egentes; quamlibet enim magnas pecunias habere possunt, sed in earum quantacumque abundantia non egere non possunt. D. Aug. t. 7. de Civ. Dei l. 7. c. 12.

Dives pauperrimè, quid habes, si Deum non habes? vel

quid

quid non habes, si Deum habes? D. Aug. t. 5. part. 2. Ser. 345. n. 1.

Ubi divitias invenisti, requiem perdidisti ... In die sollicitus, & nocte pavidus, semper mendicus. D. August. t. 5. part. 2. Ser. 345. n. 5.

Volendo dives esse desiderat, æstuat, sitit, & tanquam hydropisis morbo plus bibendo, plus sitit ... omnino avarus in corde hydrops est. Nam hydrops in carne humore plus est, humore periclitatur, & humore non satiatur: sic hydrops in corde, quanto plus habet, tanto plus eget. D. Aug. t. 5. Serm. 177. n. 6.

Ambos (nempè divites, & pauperes) *terra nudos excepit; ambos expectat mors; ambos non timet febris. Habet eam pauper strato terreno; sed nec dives eam venientem lecto terret argenteo.* Ibid. n. 7.

Aurum terra est fulgens ... Cum sit aurum Creatura Dei, non tamen fecit Deus aurum ad imaginem suam, sed te. Ergo posuit sub te aurum. Amor ergo iste contemnendus est. D. Aug. t. 5. part. 2. Serm. 368. c. 4. n. 4.

Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. D. Aug. t. 6. De octo Dulcitii quæst. n. 12.

Filii Adam, genus avarum, & ambitiosum audite. Quid vobis cum terrenis divitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum, & Argentum nonne terra est rubra, & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. D. Bern. t. 2. Serm. 4. in Adv. n. 1.

Quod amas ad tempus, quid prodest? Aut subduceris illi, aut subducitur tibi. Cum fueris tu subtractus, perit ipse amator. Cum fuerit illud subtractum, perit quod amasti. Ubi ergo aut amator perit, aut quod amatur, non est amandum. D. Aug. t. 5. part. 2. Ser. 368. c. 2. num. 2.

Jacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre,

& si

& si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiamsi te illa viventem non deserat. D.Aug. t. 3. p. 2. c.3. tr. 5. in ep. B.Joan. n.12.

Amores turpes quantas molestias habent? quantas sollicitudines hic in ista vita? Ommitto gehennas. Vide ne jam ipse tibi gehenna sis. Aug. t. 4. part. 2. Enar. in Ps.102. n.17. D

Pulchritudo brevis, atque fulgetro similis. Juventus nihil aliud, quam temporis fervor. Canities tristis vitæ occasus. Nazianz. l. de vitæ itin.

Enitor ut nihil amem, quod abesse à me invito potest. Aug. t. 2. ep.2. n.1.

Ipse Amor à creatore inditus, nisi ejus naturalis ingenuitas adulterinis aliquibus affectibus, præpedita fuerit, ipse inquam se docet: Sed docibiles sui docibiles Dei. Bern. l. de Nat., & dig. am. div. c.1.

Amate Deum. Nihil melius invenitis. Aug. t. 5. 1. p. Ser.349. n.5. E

Quid eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus nos ipsos diligere nescimus. Aug. t. 2. ep.155. n. 13.

Quoquo versum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te: tam etsi figitur in pulchris extra te, & extra se. Aug. t.1. Conf. l.4. c. 10. n.15.

Bonorum summa Deus nobis est. Deus est nobis summum Bonum. Neque infrà remanendum nobis est, neque ultrà quærendum. Aug. t.1. de mor. Eccl.Cath. lib.1. n.13.

Amandus solus Deus est. Omnis verò iste Mundus, idest omnia sensibilia contemnenda. Aug. ibid. c. 20. n.37.

Omnis boni bonum, unde omne bonum. Bonum, cui non additur, quid sit ipsum bonum.... Est bonum simplex ipsum bonum, quo cuncta sunt bona, ipsum bonum, ex quo cuncta sunt bona. Aug. tom.4. part.1. Enar. 2. in Ps.26. n. 8.

Bo-

Bonum tuum quære, ô anima . . . Nemo bonus, nisi unus Deus. Summum Bonum, hoc est tuum bonum. Aug. tom. 4. par. 2. Enar. in Ps. 102. n. 8.

Cujus rei amor quærendus est, nisi ejus, quæ non potest deesse, dum amatur? .... Quid verò æternum est, quod æternitate animum afficiat, nisi Deus? Aug. t. 6. l. de div. quæs. q. 35. num. 2.

Avarus es; pecuniam amas: Beatus esse vis? Deum tuum ama. Aug. t. 6. Ser. de disc. Chr. c. 10. n. 10.

F *Vera ibi gloria erit, ubi laudantis, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse, nisi dignus.* Aug. t. 7. de Civ. Dei l. 22. c. 30. n. 1.

Honor tuus erit Deus .... Ipse te poterit pro rebus omnibus satiare. Aug. t. 5. Ser. 334. num. 3.

Ipse sufficit; solus sufficit .... Si avari sumus, ipsum amemus. Si opes desideramus, solus nos satiare potest. Aug. t. 5. Ser. 177. n. 9.

Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. Aug. t. 1. Conf. l. 13. c. 8. n. 9.

Quid tibi jubet Deus? Dilige me. Aurum diligis. Quæsiturus es aurum, & forte non inventurus: Quisquis me quærit cum illo sum. Amaturus es honorem, & forte non perventurus: Quis me amavit, & non ad me pervenit? dicit tibi Deus. Aug. t. 3. p. 2. tr. 10. in ep. Jo.

Ad imaginem Dei facta rationalis anima cæteris omnibus occupari potest, impleri non potest. Capacem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Bern. in Declam.

Ama æternitatem. Nullo fine regnabis, si finis tibi Christus est, cum quo regnabis in sæcula sæculorum. Aug. t. 4. p. 2. Enar. in Ps. 145. n. 20.

G *Omnia ista* (idest res creatæ) *simul bona valdè, quià fecit Deus omnia bona valdè. Undique pulchritudo*

ope-

operis, quæ tibi commendat Artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Non occuperis in eo, quod factum est, & recedas ab illo, qui fecit. Aug. t. 4. p.2. Enar. in Ps.145. num.5.

Miraris Mundum. Quare non Artificem Mundi?..... Qui fecit hæc omnia, Deus tuus est. Pone ibi spem tuam, ut sis beatus, Ibid. n. 12.

Si amas quod fecit, multo magis eum, qui fecit. Si pulchra sunt quæ fecit, quanto pulchrior est qui fecit. Aug. t. 4. part.2. Enar. in Ps. 148. n.15.

Ex ipsa (nempe Dei visione) *sunt omnia pulchra*. Aug. t. 3. p. 2. c.3. tr. 4. in ep. Jo. n.5.

Veh tibi, si amaveris condita, & deserueris conditorem. Pulchra sunt tibi: Sed quanto est ille pulchrior, qui ista formavit? Aug. t.3. p.2. c.2. Tr.2. in ep. Jo. n.11.

Cœlum, & Terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem. Aug. t. 1. Conf. l. 10. c. 6. n.8. H

Cum Deo delectatur (anima) *ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat.* Aug. t. 2. ad Inq. Jan. l. 2. ep. 55. c. 10. n. 18. I

Sustinendo Dominum habebis eum, habebis quem sustinebis. Aliud desidera, si majus, si melius, si suavius inveneris. Aug. tom.4. p. 1. Enar. 2. in Ps.26. n.23.

Deum non vides: Ama, & habes. Aug. t. 5. p. 1. Ser.34. num.5. K

Summum Bonum quanto perfectiùs possidetur, tanto ipsum magis amatur, & alia contemnuntur, quia quanto magis habetur, magis cognoscitur. D. Th. 1. 2. q. 2. ar.1. ad 3.

Illud est unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. D. Aug. l. 1. de mor. Eccl. Cath. c.26. n. 49. L

Manifestum est nullam esse majorem causam, qua vel inchoetur, vel augeatur amor, quàm cum amari se cognoscit qui nondum amat, aut redamari se vel posse sperat, M

rat, vel jam probat qui prior amat .D. Aug. t. 6. l. de cathec. rud. c. 4. n. 7.

Bonus es Domine animæ quærenti te. Occurris, amplecteris, Sponsum exhibes, qui Dominus es. Ber. t. 3. in Cant. Ser. 69. n. 9.

Amicus Dei, si voluero, ecce nunc fio. Aug. t. 1. l. 8. Conf. c. 6. n. 15.

Sponsum exhibet, qui Dominus est. Pet. Chrif. Ser. 7.

N *Securi sumus, & certi sumus, quia falli non potest. Amat nos. De nobis autem invicem nondum certi sumus*. Aug. t. 4. p. 1. Enar. in Pſ. 100. n. 12.

Si nulla res ab ejus Charitate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest? Aug. t. 1. de mor. Eccl. l. 1. c. 11. n. 18.

O *Amat & Deus, nec aliunde hoc habet, sed ipse est unde amat: & ideò vehementius, quià non amorem tam habet, quam hoc est ipse.... vides amori cedere, & majestatem? Ita est. Neminem suspicit amor, sed nec despicit quidem..... Tu Deum forsan adhuc ab hac amoris regula excipi putas?... Ipse factus est tanquam unus ex nobis. Minus dixi, non tanquam unus, sed unus. Parum est parem esse hominibus. Homo est*. Bern. super Cant. Ser. 59.

Maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo, quantùm eum diligat Deus; & ideò cognosceret, ut in ejus dilectionem, à quo prior dilectus est, inardesceret. Aug. t. 6. l. de cath. rud. c. 4. n. 8.

Si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio, quam prævenire amando: & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. Aug. ibid. num. 7.

Nihil à nobis quærit, & quæsivit nos, cum eum non quæreremus. Aug. c. 4. tr. 8. in Jo. n. 14.

P *Tantum pignus dedit: Non timeat Sponsa, ne deseratur à Sponso: Non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit?*

dit? Sanguinem suum fudit .... Si non amaret, talia pignora non daret. Jam amat. Aug. t. 4. p. 2. enar. in Ps. 81. n. 1.

Attendamus ad indicium dilectionis Dei. Promissionis Dei tales arrbas accepimus. Tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Promissum reddi dubitas, qui tale pignus tenes? Idem in Ps. 148. n. 8.

Quid tibi promisit Deus, o homo mortalis. Quia victurus es in æternum, non credis? Crede, crede. Plus est jam quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? ut vivas cum illo .... Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Aug. t. 4. enar. in Ps. 148. num. 8.

Semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus, tanquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est. Chrysost. Hom. 61. ad pop.

Qui vobis hic me ipsum tradidi, multo magis id in futuro faciam. Ibid.

Nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. Idem hom. 60.

Dilexit etiam non existentes, sed adiecit & resistentes diligere. Bern. in Cant. Ser. 50.

Quis non stupeat charitatem Dei spreti, & revocantis? Bern. in Cant. Ser. 82.

Amat semper, sive blandiatur, sive minetur. D. Aug. t. 4. p. 2. enar. in Ps. 91. n. 1.

Quid jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent. Aug. t. 3. p. 2. de Ser. Domini in monte l. 2. c. 4. n. 16.

Qui judicem mutavit in Patrem, amari voluit, non timeri. Crisol. Ser. 61.

Amavit nos prior, qui semper est pulcher; & quales amavit, nisi fœdos, & deformes; non ideò tamen ut fœdos dimitteret, sed ut mutaret, & ex deformi pul-

chros faceret. Quommodo erimus pulchri? amando eum, qui semper est pulcher. Aug. t. 3. p. 2. in ep. B. Jo. c. 4. tr. 9. n. 3.

V *Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponsus amari. Quid in his præstat? quid eminet? nempe Amor*. Bern. in Cant. Ser. 83.

Cum amat Deus, non aliud vult, quam amari; quippè non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint. Bern. ibid.

X *Ad quodcumque me convertero vilescit mihi adeptum, quamvis accenderit desideratum; cum omnia, quæ dùm non habeo, amo; cum habuero, contemno*. Aug. t. 4. enar. in Ps. 102. n. 9.

Augent spiritales deliciæ desiderium in mente, dum satiant, quià quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur; & idcircò non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. D. Greg. t. 2. hom. 36. in Evang. in princ.

DE

DE ARTE
BENE AMANDI,
SIVE
DE DILIGENDO
DEO
LIBER SECUNDUS.

Argumentum.

Arte omnia dirigi multiplici ostenditur Inductione, ex qua deducitur, & Amantes aptis monitis esse erudiendos, ut postquàm invenerint id, quod benè amatur, quommodo benè ament, addiscant. Animæ igitur pulchritudini, qua cœlestis Sponsus unicè trahitur, in primis est incumbendum: adeòque non solùm læthales culpæ, quibus anima inquinatur, earumque occasiones sunt omninò vitandæ; verum etiam à venialibus noxis, spiritus nitorem infuscantibus, est temperandum, ut selectis rationibus, & sanctorum exemplis aperitur; quibus etiam inculcatur indefessa sensuum custodia, & propera post lapsum Pœnitentia: nec non omnium virtutum ornatus, quo pulchra mens redditur, ac Deo grata, disertè comendatur. Ad laudis, & obsequii tributa Numini persolvenda præsertim invitantur amantes, ipsisque præscribitur exterior compositio, ac mentis attentio inter orandum, & preces offerendi modus indica-

dicatur. Monentur ut ab inani gloria caveant, impios irrisorum cavillos aspernentur, & ab illecebris amatorum sæculi, nè seducantur, aures subducant, quin illas sacræ concioni frequenter accommodent. Insuper ut piæ vacare lectioni statis horis assuescant ubere argumentorum copia inducuntur: Dilectionem Dei à dilectione proximi nunquàm sejungi, & hanc vel ad ipsos inimicos extendi, cùm ratione, tùm auctoritate demonstratur: ex quo misericordiæ, tàm corporalis, quàm spiritualis opera implenda fore colligitur, & ad pios etiam manes à pœnis levandos pietatis studium esse protendendum. Demum benè amantibus præcipitur, ut Sanctorum invocatione, & potissimùm Virginis Deiparæ Patrocinio, quod crebris ergà illam obsequiis est promerendum, Regis Gloriæ sibi amorem concilient: ipse namque Matrem suam, quàm impensè amat, nos amare jubet; & pia Mater, à nobis amata, & rogata, Filium suum, quem amamus, ut amantes redamet, exorat.

FEſtivum Pæana canat genialis amantum
Turba: repercuſſis plauſibus aura ſonet.
Doctus amans puros reperit, quibus ardeat, ignes:
Novit quæ caſtas leniat unda faces.
Novit quo deceat cordis volitare favillas,
Materies flammis quæque ſit apta ſuis.
Invenit quod amare juvat, quod gaudia præſtat:
Gaudia fert Numen: Numen amare juvat.
Vix tamen acceſſit præfixæ ad limina metæ:
Nam quod amet non eſt comperiiſſe ſatis.
Aſpicit ut portum, remis impellere lentam
Nauta ratem, & velis addere vela ſolet.
Nunc igitur dextro moderanda eſt remige Amoris
Cymba: eſt nunc monitis erudiendus amans.
Non ſecura, vagans dum ſcindit cærula puppis,
A Duce ſi vigili deſtituatur, erit.
Flavet ager, curvo quem vomere ſindit arator:
Jugera dant pingues, cùm renovantur, opes.
Arte micant gemmæ: rutilantque metalla, periti
Quæ facit Artificis ſplendidiora labor.
Dirigit Ars choreas: agileſque moventur, eburnæ
Ad citharæ ſonitum, non ſine lege, pedes.
Dirigit Ars cantus: tremulaſque inflectere, doctos
Ad numeros, voces dextra magiſtra jubet.
Fœmina nativum vultus alit arte decorem;
Quæque decore caret, comparat Artis ope.
Hæc panem madidum, Tiberis parat altera lymphas:
Sic vitreà ſemper fœmina fronte nitet.
Commodat albentem pullæ ceruſſa colorem:
Nativas ſupplent rubra venena roſas.
Nuda ſuperpoſitis tegitur calvaria cirris:
Lævigat arentem pyxis inuncta cutem.
Quidquid habet pulchri facies pulcherrima Mundi
Arte juvante viget, deficiente perit.
Arte regi turpi turpes patiuntur amores:
Purus amor purà ſuſtinet Arte regi.

A

Arte reguntur omnia.

Mulierum pigmenta indicantur.

Officit illa suis monitis; sed proficit ista:
Crimina sunt illi; crimine at ista vacat.
Militiam quisquis Divi sectaris Amoris,
Artis præceptis instituendus eris.
Invictas reddit bellandi norma phalanges:
Victrices lauros turma perita metit.

Exercitii militaris descriptio.

Fortis in arma ruit fictis exercitus armis
Miles: quo lusit fulminat ense ferox.
Agmina, pacatis quæ Regibus otia ducunt,
Sæpè gerunt doctà ludicra bella manu.
Strenuus ut Ductor, distringite, clamitat, ensem,
Emicat aerio ferrea in Orbe seges.
Unanimes jactas sursùm, prensasque sarissas,
Elatasque humeris, plebe stupente, vides;
Ænea canna simul glomeratis fœta papyris,
Concordi, quamvis multa, fragore tonat.
Sic Ducis ad monitus pugnandi discitur usus:
Belligerà armorum pendet ab Arte decus.
Militat omnis amans, & castra tuetur amoris:
Artes bella regunt: arte regendus amor.
Ars quod ames docuit: leges præscribet amandi:
Altera pars Operis perficienda venit.

Animæ pulchritudini incumbendum.

Sit princeps animo servandi cura decoris,
Ut rapias Sponsi lumina munda tui.
Pulchros pulchra decent: Cùm sit pulcherrimus ille,
Quo traheris, pulcher sis cupit: esse decet.
Quisquis amas, ut ames securus, amabilis esto.
Hoc tibi non vultus forma caduca dabit.
Divus Amor fragiles, rutilant queis corpora, dotes
Negligit, & cultus exterioris opes.
Hunc benè crispati capitis non allicit aurum,
Non capiunt roseis lilia mixta genis.
Qui facit æternis scintillent sidera flammis
Non geminum frontis mobile sidus amat.
Negligit in teneris animata coralia labris,
Et vivax nivei despicit oris ebur.

In-

Interiora placent: animi cupit ille decorem: B
Pulcher eris, ſi mens neſcia labis erit.
Pulcher eris, quamvis horreſcant tempora canis,
Pendenteſque genas ruga ſenilis aret.
Dente licet careant compreſſis ora labellis,
Sintque oculi fuſi ſanguine, pulcher eris.
Pars hominis melior dùm pectore marcet agreſti,
Occiduo fruſtrà corpora flore virent.
Frondea corruptis ſordeſcit fructibus arbos,
Nec foliis tantùm luxurioſa placet.
Deciduæ facies quid jactat frondis honores,
Putrida ſi fructus pondere corda carent?
Luxatis etiam mens eminet artubus æqua:
Prava ſed, illæſo corpore, curva jacet.
Exitiale nefas conterritus effuge: mentem
Interimunt miſerà facta ſceleſta nece.
Non aliter ſubitæ graſſantur in oppida mortes,
Æthereis ſaniem peſte vomente plagis.

Lethales culpæ omninò vitandæ.

Nullus amans verè quem diligit odit: in unà C
Nunquam odio junctus ſede moratur amor.
Vix odium invadit victi penetralia cordis,
Cùm mox è victo corde recedit amor.
Odit qui lædit: commiſſa piacula lædunt;
Supplicioque ſcelus fert alimenta gravi.
Turpia qui ſequitur fines tranſcendit honeſti,
Et dignos odio culpa patrata facit.
Haud violanda Patris contemnere filius audax
Juſſa, meret ſpreto diſplicuiſſe patri.
Induit ille reum: Cenſorem iſte induit: eſſe
Incipit ille hoſtis: ceſſat hic eſſe pater.
Experiere Patrem Numen, niſi læſeris: eſſe
Ut cenſor nolit, nè reus eſſe velis.
Æternas vigili fac ſerves pectore leges,
Nec recti anguſtas tranſgrediare vias.
Mentitur, Regi fidos qui jactat amores,
Si premit indigno regia juſſa pede.

Non

Non sic, ut culpam, scindentia fulmina nubes,
Obliquoque gradu præcipitata time.
Non ità formides patulos telluris hiatus,
Arcanoque tremens igne movente solum.
Malle mori debes, quàm sontem ducere vitam;
Vita, mori illud erit: Vita erit ista, mori.

Exemplum Sanctæ Blancæ.

Mater Aloysii, quo Gallia Rege vigebat,
Quo modò de cœlis auxiliante viget,
Dùm gremio pueri regalia membra fovebat,
Fletibus immixtos hos dabat ore sonos.
Vive diù Matris proles dulcissima, vive,
Innocuo candens pectore, vive diù.
Vive, precor, nivei dùm sint sine crimine mores,
Dumque tui careant labe nigrante dies,
Si tua vita foret temeranda libidine culpæ,
Ex ulnis vellem distraherere meis;
Brachia præstarent cuperem vel nostra feretrum;
Te vellem, æternum nè morerere, mori.
Oscula dùm teneris figebat crebra labellis,
Purpureis signans lactea colla notis;
Si læsura estis, dicebat, labra Tonantem,
Oscula dem vobis non repetenda, precor.
Frigida pallidulis dulcescent rapta labellis
Basia, cùm mendis labra carere sciam.
Hæc Regina parens, maculandæ crimine vitæ
Innocuam sobolis præpositura necem.
Turpe mori, fœdum vitiis fore vivere; pulchrum
Vivere, non fœdum, credidit illa, mori.

Exempla Sanctorum Martyrum.

Hoc etiam fusi testatur voce cruoris
Turba frequens, vitæ prodiga turba suæ.
Delicti pretio vitam indignata parandam
Agmina densa truci succubuere neci.
Virgineas acies ad funera cerne volantes,
Ut volat ad dulces anxia sponsa toros.
Saxea thuricremis venerari Numina flammis
E solio Impietas dùm chlamydata jubet,

Ex-

Excipiunt meritis audacia jussa cachinnis,
Accensas risu despiciuntque minas.
Sic pueri vibrata manu, casuraque primo
Spicula in impulsu ridet ab arce gigas.
Prodiga pœnarum diademata barbara spernunt,
Nec gravida exitii sceptra superba timent.
Non mors est illis, mora mortis at una dolori:
Plus habet hæc pœnæ: pœnæ habet illa minus.
Altera clara phalanx glaciatis ludit in undis,
Ludit in ignivomis altera turba rogis.
Hæc facibus, nivibus spatiatur & illa: putares
Florida prata nives, florida prata faces.
Corpore anhelanti bibit utraque turba dolores;
Estque illi, ut fugiat crimina, vile mori.
Non ità mellitos sorbillant guttura succos:
Non sic ambrosio nectare labra madent.
Pectora vulnificis mucronibus obvia cerne:
Purpuret ut vivo murice cerne solum.
Cerne, & disce mori potius, quam lædere Numen,
Flagitiis leges aut violare sacras.
Nec gravis horrescas solùm contagia culpæ: D
Ipsa pericla gravis disce timere mali. *Occasiones peccandi fugiendæ.*
Non sine labe animus sceleris confinibus hæret:
Qui premit audacter nota pericla perit.
Effuge, ne pereas: ovium fœdanda cruore
Semper erit rabidis proxima caula lupis.
Erumpunt rari violento gurgite nantes:
Incendit stipulas parva favilla leves.
Ad mala præcipitem furor est impellere sensum:
Concitat effrænem non bene calcar equum.
Læthiferas norunt oculi sorbere ruinas, *Oculi præsertim custodiendi.*
Sæpè hæc fert cordi bina fenestra necem.
Quàm diras animis inducant lumina clades,
Jessæi memorant damna timenda Ducis.
Ut dedit ille brevi post fercula membra quieti,
Sole poli mediam trajiciente viam.

Scan-

Scandit inaurato suffultum fornice tectum,
Mitis ubi zephyris flantibus æstus erat.
Bersabee opposito fulgebat nuda lavacro,
Ut tremula è claro Cynthia fonte micat.
Jessiades pulchræ rorantia membra maritæ
Vidit, & incaluit: protulit unda faces.
Regius amplexus vetitos possedit adulter,
Firmavitque viri gaudia rapta nece.
Intuitu heu quantùm David peccavit in uno,
Lumina si geminum progenuere nefas!
Idcircò lapsus memor ille, timensque relabi
Sollicito timidas has dabat ore preces.
Ne vana aspiciant, averte, ah! Numen, ocellos:
Obvia si veniant lubrica, fortè cadam;
Nam cecidi, & doleo: semel aspexisse lavantem
Uriaden misero succubuisse fuit.
Lumina claude, vorent ne pervaga lumina culpas:
Nè vana aspiciant, lumina claude, precor.
Sæpè precabatur biberent nè toxica luces;
Toxica nàm biberat lucibus ille prius.
Lumina Job strictis legum frœnabat habenis,
Fœdera cumque oculis panxerat æqua suis.
Sunt oculi Syrtes. Repetet quis navita cautes,
Ad quas allisæ constrepuere rates?
Damna ferunt oculi: scopuli quoque damna. Minora
Sed tua, Scylla, reor damna, Charibdi, tua.
Hæc igitur fugias tàm sæva pericula quisquis
Nè lædas Numen, crimina magna fugis.

E
A levibus etiam defectibus temperandum.

Magna ubi vitaris, vitare minora memento:
Sit tibi de minimis sedula cura malis.
Omnis amans culpas, & culpæ nomen abhorret:
Ut fugiat tantùm, crimina noscit amans.
Ille leves nullas videt inter crimina noxas,
Apparetque ipsi criminis umbra gravis.
Sic animo hærentis tactus formidine larvæ
Noctivagus semper spectra videre putat.

Fron-

Frondea terrificæ ludens dum brachia sylvæ
Aura movet, rauco vel strepit unda sono,
Exesos fingit manes motare lacertos,
Stridula vel mæstis vocibus ossa queri.
Si pede fortè lepus tacitos quatit alite saltus,
Per saltus umbræ, vociferatur, eunt.
Seu fors frendet aper, latrant seu fortè molossi,
Tartareas animas exululasse pavet.
Ad Lunæ radios umbras dùm corpora reddunt,
Incutit ipsa sui corporis umbra metum.
Robora cæsa videt: simulacra immota videre
Credit. Spectra sibi, quæ timet, ipse facit.
Verus amans pariter metuit, ne lædat amatum:
Sed timor iste juvat: non, velut ille, nocet.
Est comes erroris primus, comes alter amoris:
Ille humiles animos denotat: iste pios.
Crescit amore metus culpæ: metus auget amorem:
Cùm magis ardet amans, tunc magis ille timet.
Gaudet amare, simul gaudet delicta timere;
Dumque timet cautus crimina, tutus amat.
Rorantes lacrymis Gonsagæ dicite ocelli,
Quàm metuit sceleris ne foret ipse reus;
Incauto postquam conspexit lumine Matrem,
Fœmineasque oculo prætereunte genas,
Lumina post visam timuit maculata parentem,
Lumina de maculis candidiora suis.
Suspectam noxam lacrymoso fonte piavit,
Noxa licet lacrymis nulla pianda foret.
Gonsagæ puri facundo murmure fletus,
Ut fugias etiam crimina parva monent.
Turpiter exiguis fœdantur pectora culpis:
Est animi scabies lurida culpa levis.
Formosum pueri terebrat sic pustula vultum:
Sic lepræ tabo corpora obesa putrent.
Hanc saniem mentes rodentem dilue: formæ
Qui non est custos insipienter amat.

Exemplum Beati Aloysii Gonsagæ.

Proci corporis insistunt pulchritudini.

Corpora ne turpent exculta verentur ephebi;
Fœmineàque linunt (proh pudor !) arte genas.
Invigilant speculo polientes pumice vultum,
Contegat ut mendas pulchra latebra leves.
Floribus ora lavant in lymphas igne solutis:
Lota rosis spirant ora loquendo rosas.
Nè dentes rubigo terat, quas venditat audax
Chymicus in Triviis, experiuntur aquas.
Excruciant tenui fruticantes forcipe malas,
Stirpitus ut barbæ germina vulsa cadant.
Sæpe ungues resecant, expurgant sordibus aures,
Inque cavà haud tolerant crescere nare pilos.
Nè capitis croceam pulsantem terga procellam
Concutiant Boreæ dissona flabra timent.
In manibus gestant, brumà regnante, galerum,
Ne cirros emptæ comprimat ille comæ.
In benè servato volitans ne pulvis amictu
Hæreat, aut cœni gutta inopina cavent.
Captivæ corio plantæ tortore fatiscunt,
Dùm pellis digitos comprimit arcta pedum.
Multiplices florum latè jaculatur odores,
Quæ vestit teneras mollis aluta manus.
Munditias illi quærunt, & frontis honorem:
Nempè sciunt cultu corda decente trahi.
Corporis insistunt, animi tu insiste decori:
Præterit ille, manet semper at iste decor.
Ut placeant, tenues arcent à corpore mendas:
Ut placeas, mendis fac tua corda vacent.
Offensis etiàm levibus cruciantur amantes:
Offensas nullas fert patienter amor.
Verbera sæva ferat, ferat aspera verba mariti
Uxor amans; verbis, verbere læsa gemet.
Illa dolens semper, seu nutu spreta loquaci,
Seu torvis oculis aspiciatur, erit.
Numen amans culpis, & culpæ læditur umbrà:
Parva etiàm nobis crimina lege vetat.

Qui

Qui graviter tantum renuit delinquere, amici
Vix tepidi titulum promeruiſſe poteſt.
Delicti tenebras, dubiæque crepuſcula noxæ
    Æternæ lucis candor ab orbe fugat.
In terras ignem qui mittere venit ab aſtris
    Exangui haud patitur corda tepere face.
Divino ut placeat Soli, non deſide flammà
    Ardeat omnis amans, & ſinè nube micet.
Nubila ſunt pluviæ, ſunt ſera crepuſcula noctis
    Nuncia: fitque brevi languida pruna cinis.
Si modò in exiguas laxas retinacula culpas,
Indè ſequere graves: hoſtis apertus eris.
Effuſis ſonipes diſcurrere doctus habenis
    Excutit inſolità lora retenta manu;
Præcipitique vorans ignota pericula curſu
    Rectorem dorſo non patiente quatit.
Pocula difficili vix ſorbet amara palato
    Guttatìm, rigido patre minante, puer.
Sæpè bibens, ſuccis poſtquam conſuevit acerbis,
    Expertas pleno gutture potat aquas.
Flagitii terror facili dediſcitur uſu
Errandi: culpæ fit nova culpa comes.
Ad graviora leves diſponunt crimina noxæ:
    Sæpè cadens læſo claudicat indè pede.
Invenies ſcelerum quotquot periere profundo
    A minimis primò damna tuliſſe malis.
Spumantis teneras declinans æquoris iras
    Nulla fuit validis obruta puppis aquis.
Non inter ſaltus trepidaret nocte viator,
    Veſpere ſi dubium deſeruiſſet iter.
Naufragus errorum ne demergaris in alto,
Culparum modicas effuge cautus aquas.
Anfractu tenui ſinuatos deſere calles,
    Nè flexu ambiguæ detineare viæ.
Maxima ut evites, tibi ſunt vitanda minora
    Crimina. Ne admittas maxima, parva time.

Sau-

Sauciet ut fixam jaculata sagitta papyrum,
Altior est viso projicienda scopo.
Bellum vitiis indicendum.
Omnibus incipias vitiis indicere bellum:
Inducias nullas prælia justa merent.
Damna moræ quoties ægrè reparanda minantur,
Velle moras, damna est velle subire moræ.
Continuò pugna, nunquam desiste: triumphos
Pugna dabit nullis attenuata moris.
Pervigil immunem servet Custodia mentem,
Bella ubi detrectans sensus aperta movet.
Servet &, impavidæ simulat cùm fœdera pacis:
Nulla, quibus fidas, jura rebellis habet.
Excubat insomnis, fervent dum prælia, miles:
Agmina fœdifragos sub ditione tenent.
Sensibus ad dominæ nutum Rationis adactis,
Nulla tibi lapsus causa timenda foret.
Fomitis at quoniam penitus sedare tumultus
Adæ noxa vetat, sæpè labare soles.
Pœnitentia post lapsum.
Tunc, si fortè cades (cadimus quandoque malorum
Illecebris fracti robore) surge citò.
Prostratus, subitò ni surgat, figitur hostis:
Saucius infrendet, nè teneatur, aper.
Viscatis strepitat pennis, ut pervolet, ales:
Retia nituntur scindere dente feræ.
F
Tu quoquè surge: dolens sacrumque accede tribunal:
Solventur culpæ vincula, liber eris.
Crimina sunt animæ morbus. De Numine stillans
Est animæ morbis una medela cruor.
Vulnera Numen habet, quæ cœlica balsama fundunt:
Hæc, ut tu valeas, vulnera fecit amor.
Est tibi vulnus, opus culpæ: pete vulnera amoris:
Vulnus, opus culpæ sanat amoris opus.
Cerva gemens medicos festinat adire liquores,
Ut timidum volitans mordet arundo latus.
Post culpam gemitus educ de corde dolentes:
Ore roga veniam: pectora tunde manu.

Ac-

Accipitris rabidos poſtquam deluſerit ungues,
Ad nidum rediens ſalva columba gemit.
A læſo veniam ſuſpiria Numine poſcunt:
Luctibus ira cadit: conciliatur amor.
Sponſa nocens ſpreti cupiens cor flectere Sponſi,
Manè gemens ſurgit: veſpere mœſta gemit.
Auribus excepti tangunt præcordia luctus:
Ducitur ad viduos Sponſa relicta toros.
Cœleſtis Sponſus, poſtquam peccaveris audax,
Parcet: at ipſe prius, parcat ut ille, gemas.
Non intermiſſas lacrymas ſingultibus adde:
Poſt tonitru crebræ decidit imber aquæ.
Bina face in geminum vertantur lumina flumen:
Culparum ſordes flumina bina lavent.
Non taceat pupilla die, nec nocte ſileſcat:
Ut jugi ſileant crimina victa ſono.
Latratus dat culpa ſuos, queis pectora terret:
Ni plores, latrat: dùm gemis, illa tacet.
Cùm fleret Petrus, ſerpens effoderat humor
Ora: genæ ſulcus, lumina rivus erant.
Noctibus aſſiduis Rex pſaltes ſtrata rigabat,
Balnea de lacrymis reddita ſtrata ſuis.
Fercula miſcebat, miſcebat pocula fletu,
Et feſſis oculis non erat ulla quies.
Ah! larcymis ne parce. Nimis lacrymabilis ille eſt,
Qui lacrymanda facit, nec lacrymare cupit.
At non ſunt flendi, qui flendo flenda piarunt:
Ut non ſis flendus, crimina flenda fleas.
Innocuæ reſident ad plena fluenta columbæ:
Pura tamen turpi labe columba caret.
Labe licet careas (ſed quis ſine crimine vivit?)
Ut magis eniteas, flebilis unda dabit.
Marmora nativo candore nitentia lambens
Fons illimis aquis candidiora facit.
At poſtquam nullà pollutus ſorde placebis,
Divite virtutum dote nitere para.

G *Virtutibus mens ornanda.*

F Men-

Mendicat gazas formosa puella maritas;
Quæque placet facie, dote placere cupit.
Expertes nævis vultus ut gemma decorat,
Sic niveæ est virtus plurima mentis honor.
Virtutes animos ornant. Est unica virtus
Authorem species digna movere suum.
Ut te Numen amet, mentem virtutibus orna:
Ornari cultu divitiore nequis.
Pensilis è niveâ non sic micat aure lapillus:
Non ità gemmato pectora torque nitent:
Non ità sub tremulo rutilant adamante capilli:
Non teretes digitos tam benè gemma premit;
Quàm benè virtutum mentes splendore coruscant:
Ornatu Mundus splendidiore caret.
Sidereo cœlum quoties scintillat amictu,
Aut pictus vario flore superbit ager;
Non sic irradiant, ut mens virtute refulgens:
Cultu ager, & cœlum deteriore nitent.
Ardua molitur, meditatur fortia virtus:
Semper ovat: nullo victa labore jacet.
Vepribus obductos terit imperterrita calles:
Flore voluptatis sparsa pericla timet.
Tentat adhuc teneræ radices vellere culpæ:
Proculcat taciti semina prima mali.
Providus haud aliter convellit villicus herbas,
Queîs, nullo fructus pignore, prata rigent.
Sic dùm fœcundas vastat vulpecula vites,
Ruricolæ vigili concidit icta manu.
Una est, non numero, tamen una est ordine virtus,
Et varios series colligat una modos.
Ut diversa unum connectit gemma monile;
Sic unum virtus multa monile facit.
Queîs rutilat, gemmæ, non sunt Gangetica proles;
Non sunt auriferi vitrea dona maris.
Non istæ fragili, velut illæ, luce coruscant,
Et pretii pondus nobilioris habent.

Spes

Spes vincit virides ſtabili fulgore ſmaragdos:
Nec, velut ardet amor, clare pyrope, flagras.
Virginitas baccas ſuperat candore nitentes:
Illius aſpectum ſuſtinet æger Onyx.
Mens humilis grato violæ eſt pallore venuſta:
Talibus haud violis, pulchre Amethyſte, nites.
Firmior eſt ſolido conſtans adamante voluntas:
Nullius incurſu frangitur illa mali.
Aurea Chryſoliti ſpecies viduata decore,
Dotibus internis æquiparetur, erit.
His igitur gemmis mens eſt ornanda: placere
Authori dives poſſit ut illa ſuo.
Hæc ſpecies ævi dentes contundit edacis:
Extremi flammas effugit iſta rogi.
Non alia æternum, niſi forma perennis amorem
Attrahit: hanc virtus mentibus una dabit.
Nativis animi virtutes inſere donis:
Virtutes facient, ut benè ſemper ames.
Agmina virtutum purum comitantur, amorem:
Neſcit ferre gradus incomitatus amor.
Proſiliunt tumido fluviales æquore lymphæ:
Aſtrorum rutilat Sole parente jubar.
In capitis reſidet membrorum vita ſalute:
Principis arbitrio ſubdita regna vigent.
Virtutes ab amore fluunt, ab amore coruſcant:
Quas peperit, format, nutrit, & auget amor.
Dilige virtutes, Numen ſi diligis: illas
Virtutum Dominus Numen amare jubet.
Virtutum, ſi Numen amas, ſectaberis agmen:
Tunc tibi deliciæ terga pudenda dabunt.
Efficies quidquid fieri non poſſe putabas:
Omnia dum facies, omnia poſſe ſcies.
Quæ placuere prius, ſubitò contemnere diſces,
Et quæcumque prius diſplicuere, ſequi.
Non voluiſſe voles libuit quæ velle: pigebat
Quæ te velle prius, mox voluiſſe voles.

Virtuti addictus Mundi ſpernit illecebras.

Haud aliter juvenis puerilia damnat adultus,
Et ludos, puero qui placuere, fugit.

Ludi nonnulli pueris familiares indigantur.

Ludere par impar renuit (velut antè solebat:)
Ridet arundineos, quos agitabat, equos.
Metiri jacto laterem quadrante; ligari
Reste, & mugitus fingere voce pudet.
Quas pila pervadat non digerit ordine fossas;
Osse nec aggestas dejicit osse strues.
Parva nec inverso quatit amplius æra galero,
An lateant Divi, stemmata sivè petens.
Sistere vittatus pulsantes terga sodales
Non avet, ut prensi lumina vitta tegat.
Funibus appensæ tabulæ non assidet: acta
Qua modò tigna domus tangat, & ima modò!
Non simulat Salios parvas penetralis ad aras:
Negligit & luteas ædificare casas.
Addiscunt juvenes puerorum spernere nugas:
Addiscunt juvenum spernere facta senes.
Concipe cœlestes purgato pectore flammas:
Mox tibi Mundus inops despiciendus erit;
Horrori est vitium, delectat & unica virtus,
Pectora divinus cum moderatur amor.
Cum spernes terram, cœli ditabere donis:
Ut spernas, cœli prævia dona dabunt.
Prævia dona, frequens, meriti ditissima, posce:
Cum bene dives eris, tunc redamandus eris.
Ut redamere tamen tibi sit reverentia cordi:
Præcipuè obsequiis conciliatur amor:

Obsequia à procis exhiberi solita.

His juvenes placitæ venantur corda puellæ:
Officiis certat vincere quisque suis.
Alter luce novà, properante ac vespere, lento
Metitur gressu, quam colit illa, viam.
Non glacie hunc Boreas, non Sirius igne retardat,
Non metuit pluvii nubila cœca Jovis.
Nimbifer obliquam seu verset Aquarius urnam,
Sivè coruscanti stridcat Æthra face;

Ad

Ad Sacras Ædes Dominam comitatur euntem,
Nec renuit famulâ ferre ſedile manu.
Alter, cui duros reſerarunt munera poſtes,
Intrat anhelatæ tecta beata domus;
Dumque puella ſedens capitis diſcriminat aurum,
Stans gaudet ſpeculum ſuſtinuiſſe manu.
Dein ſaturat cyprio criſpatos pulvere crines:
Prævenit ancillæ munera ſervus amans.
Hæc ſtultos præſtare procos amor edocet: iſtis
Naſcitur officiis, his adoleſcit amor.
Officioſa ſacrum reverentia nutrit amorem:
Hunc Pietas cultus prodiga gignit, alit.
Manè igitur tepidi cum deſeris otia lecti,
In Sponſo mentis lumina fige tuo.
Fervida ſint agiles ſuſpiria pectoris alæ,
Celſa quibus vigilans cor ſuper aſtra volet;
Cor ſuper aſtra volet, meritas perſolvere grates,
Authori poſſis gratus ut ipſe tuo.
Debita ſunt illi, ſunt grataque munera grates:
Parva petit reddas: munera magna dedit.
Quin ſemper donat, quoties data dona tuetur:
Tradita dum ſervat munera, tradit adhuc.
Poſt grates ſacra Templa (Domus ſunt Templa Tonãtis)
Ingredere; & flexo poplite funde preces.
Ne ſitus, obſequii, caveas, te prodat avarum:
Dimidios cultus reddere turpe puta.
Crede nefas curvo lævo, dextroque levato
Segniter antè aras ſpargere vota genu.
Hæc illudentis, non eſt orantis imago:
Exhibet hos ſupplex nulla tabella modos.
Nevè rotes avidos, ubi quis pertranſit, ocellos:
Pervaga adorando lumina fige ſolo.
Thure vaporatis nè vertas terga ſacellis,
Nec propè luſtralem detinearis aquam,
Alternat modulos dùm pubes docta canoros,
Contegit & feſtas myrtus odora fores.

Matutina gratiarum actio.

H

Compoſitio corporis in Templo.

Tunc propera arcanos Templi penetrare recessus,
Intentà ut valeas fundere mente preces.
Tunc cupidæ Sponsi rapiantur imagine luces:
Auferat ille oculos, qui tibi corda rapit.
Recitatio precum. Intereà laudis submissa tributa repende:
Authorem laudant terra, polusque suum.
I Hunc matutinis splendoribus astra salutant:
Dulce canit gelido Cynthia rore melos.
Ætheris auratos postes Aurora recludens,
Axe pruinoso ferre parata diem,
Æmula stellarum, rorantis & æmula Lunæ
Numinis ad laudes roscida labra movet;
Utque det æterno Phœbus præconia soli,
Purpureà laxat candida lora manu.
Culmina Sol primo radiorum lambit ut auro,
Ad voces radios erudit ille novos.
Erudit, Authoris resonent ut amabile nomen:
Facundæ radii pondera vocis habent.
Gutture plaudit avis, pennis & stridula plaudit;
E ramo ad ramum nempè canendo volat.
Dùm volitat, dùm cantat avis, laudare supremum
Pro modulo Dominum nititur illa suo.
Quem volucres laudant, quem laudant sidera, lauda:
Nè linguæ taceant, Æthra tacendo monet.
Æthra monet: tacitis vigiles da vocibus aures:
Designant tepidas pectora surda faces.
Carmina Jessæus Vates psallenda ministrat,
Ad sonitum sacræ carmina fusa lyræ.
Hæc dùm Sol vagit, dùm Sol pubescit adultus,
Dumque cadens salsis lumina mergit aquis,
Alternis cœlebs recitat concentibus agmen:
Tu quoque submissà psallere voce potes.
Numinis occurret psallenti nomen amati;
(Numinis illa etenim carmina nomen habent.)
Occurrent æterna tui præconia Sponsi;
K (Plena hæc sunt Sponsi Cantica laude tui.)

Ut

Attentè orandum.

Ut tibi dulce tamen, Domino sit psallere gratum,
Attentà modulos concine mente pios.
Qui curas ultrò sustentat pectore inanes,
Dissipat algentes, quas vomit ore, preces.
Devia mens quoties hùc, illùc spontè vagatur,
Supplicibus pondus vocibus omne deest.
Psittacus, humanam rostro simulante loquelam,
Psallit: quo psallit, non tamen ore rogat.
Sollicitos orans animi compesce volatus,
Nec, vacuas fructus pondere, sparge preces.
Pectora Seraphycis cupias ignescere flammis,
Ut puro valeas fundere corde melos.
Aligerum fidibus modulamina necte canoris;
(Aurea nempè illi tangere plectra solent.)
Junge tuas laudes Divorum laudibus: illis,
Hæ magis acceptæ, si socientur, erunt.
De terræ salebris quæcumque litamus Olimpo
Dona precum, sordes, queîs maculentur, habent.
Numinis è venis roseus tamen effluit amnis,
Tergat ut immundas, dona litanda, preces.
Prolue divinis, quæ libas, munera guttis,
Dilecto ut fiant munera digna tuo.

L

Deipara manibus preces Deo offerenda.

Selige qui manibus donaria reddat amicis:
Nàm pretium donis addit amica manus.
Intemerata pium, quod solvit lingua, tributum,
Virgo oculis nati sistere tuta valet.
Quæ genitrix offert, non subsunt dona repulsæ;
Illa etenim matris dextera grata facit.
Lac memorat mater, denudat & ubera, nostras,
Quas offert, cupiens pondus habere preces.
Filius aspiciens, quas ebibit antè, papillas,
Maternos facili suscipit aure sonos;
Blandulus & nostri munuscula suscipit oris,
Mater ut officiis reddidit apta suis.
Virgineæ tua vota igitur committe parenti:
Excipiet placido protinus illa sinu;

Scilicet auxilium clementi pectore natis
Gaudet adoptivis ferre rogata citò.
Sæpè juvat, quamvis non supplice voce rogata:
Ipse tamen supplex, ut juvet, antè roga.
Inanis gloria fugienda. At cùm devotum pendis vectigal, inanis
Gloria nè subigat pectoris ima cave.
Fœdat opus nitidum plausus vesana cupido:
Sic, ne scintillent æra, rubigo facit.
Virtutum sugit succos, ut hirudo cruorem;
Et meriti, blattæ rodit ad instar, opes.
Ergò sacrà quoties persolvis in æde tributum,
Non facito, à populis ut videare rogans.
Turgida qui sequitur fugitivæ præmia laudis
Haud Domino plaudit: complacet ipse sibi.
Quidquid in obsequium divinæ legis adimples,
Plausibus humanis subtrahe: tutus eris.
Apparet tristi fucatus hypocrita vultu,
Et maciem infectis fingit in ore pilis,
Captandæ famæ studio dùm percitus acri,
Divulgat vetitis abstinuisse cibis.
Tu quoties injussa libens jejunia servas,
Nè pateas, faciem manè lavabis aqua.
Ille inopi tenuem si forsan porrigit assem,
Protentam monstrat, plebe vidente, manum.
Pauperibus quoties dispensas æra levandis,
Fac lævam lateat quid tua dextra facit.
Ille suas orans virtutes laudibus effert,
Audet & astantes indigitare reos.
Nulli te præfer: vesanos exue fastus:
Non nisi culparum tunc meminisse juvat.
Sic Numen placare potes, veniamque mereri:
Cùm magè demissus, tunc magè gratus eris.
Tunc cœlestis aquæ largus tibi decidet imber:
Unda etenim riguæ vallis ad ima fluit.
Improbi derisores contemnendi. Nominis augendi domità prurigine, reptans
Corde timor vili dejiciendus erit.

De-

Declinet Scyllam, vitata, Cymba, Charibdi :
Pelle metus, laudis victor inanis, amans.
Negligis ut plausus, fatuos sic despice risus :
Nec te fama trahat : nec retrahare jocis.
Non deerit stolidis qui torqueat ora cachinnis,
Mordacique bonum dente lacessat opus ;
Carpserit aut postquam digito tua facta loquaci,
Confundat veris ludicra dicta probris.
De te cum sociis petulanti scurra susurro
Differet, hæc promens verba proterva labris ;
Digerit hic segni neglectum mente cucullum,
Et non empta gulæ prandia fortè parat,
Dùm torto ingrediens Templorum limina collo,
Conterit assiduo marmora pressa genu ;
Fraxineosque rotans in Tartara stridulus orbes,
Sericeæ fundæ vi Phlegetonta domat.
Dente preces vexat, simulacraque vellit ab aris :
Transfixæ speciem Virginis ore refert.
Cœlestis versat mensæ pulvinar, & orat
Vestibus insigens oscula crebra sacris.
Pars extrema togæ resecetur forcipe : collo
Pendula ab irato proteget illa Jove.
Garriet his forsan tibi plebs insana cavillis,
Haustaque de stygià verba palude vomet.
Auribus exceptæ serpant nè toxica vocis,
Inficiantque metus frigore corda cave.
Adlatret quamvis stultorum faucibus Orcus,
A cœpto nunquam dimoveare tamen.
Templa pete : augustis Altaris ritibus asta :
Divinæ laudi sis, velut antè, frequens.
Sponsa placere suo tantùm cupit anxia Sponso :
Quæ reprobat, linquit : quæ probat ille, facit ;
Æterni Sponsi tua sint contenta probari
Facta oculis : satis est, quæ facis, ille probet ;
Improba vesanæ convicia despice turbæ :
Sed magè, nè pereas, blandula verba time.
Forte

A seductorũ illecebris cavendum.

Fortè aliquis ficto velamine tectus amici,
Prærupto, dicet, subtrahe calle pedem.
Percurrenda vigil tractet psalteria cœtus:
Quæ lustres, fidus, carmina, Pastor habet.
Desine Jessæi suspiria promere vatis:
Lugubri mœrent percita corda sono.
Clorinda exanguis, plorans Erminia Sylvis.
Aut Armida furens, fossus Adonis apro,
Exhilarant animos curarum pondere pressos:
Dulce etenim revocat gaudia pulsa melos.
Fœda cadaveribus, nigrisque obsepta sepulchris
Atria, sunt gelidis manibus apta domus.
Cur igitur colis illa frequens? ah! desere: tetro
Læsus odore cruor corpora rorat iners.
Jam video occlusis torpere meatibus artus;
Suntque instar ceræ pallida membra novæ.
Ut relevere citò, lætas duc nocte choreas,
Vel placeat lepidis scena referta jocis.
Dùm flavent auro crines, dùm lilia malis
Albent, queîs cingas tempora, carpe rosas.
Mox ætas veniet, cùm se cutis arida laxat,
Et raræ canis obriguere comæ;
Nodosà incipiet cùm pes titubare podagrà,
Curvaque compellent cernere terga solum;
Deliciis spretis, mœstis tunc sparsa feretris,
Undique vel bustis consita, Templa petes.
Has Erebo natas voces abrumpe nocentes:
Subdola nàm mollis sermo venena tegit.
Nè tamen ingenito paulatim fracta veterno
Propositum tenuent torpida corda suum;
Illecebris cautas postquam subduxeris aures,
Auribus, apta animo, pabula sume libens.
Lætantur pastæ cythiso viridante capellæ:
Lanigeræ tondent fertile gramen oves.
Esca ubi defierit, sensìm restinguitur ignis:
Tunc fit flamma vapor: pruna fit ipsa cinis:

Ne

Ne tenues animi fervor vanescat in auras,
Qua pectus flagrat, præbe alimenta faci:
Excipe divini, quæ spargit, semina verbi
E rostris populo lingua diserta sacris,

Sacræ Conciones audiendæ.

Cùm cinere asperfæ recolunt cœlestia frontes,
Et gemitus pullis vestibus ara ciet;
Cùm manè à vetito gens temperat æqua macello,
Utitur & modico vespere parca cibo.
Arrectas sanctis aures sermonibus apta,
Et vigili serva singula verba sinu.
Corde retenta dabunt cœlestes semina fructus:
Fructificat retinens semina pingue solum.
Humorem cordi riguo dent lumina fletu:
Quem rivi lactant, spontè virescit ager.
Sunt lacrymæ cordis latices: uberrima menti
Pascua sæpè oculi suppeditare solent,
Aure haustas quoties repetit mens sedula voces,
Digerit aut oculo mystica scripta duce.
Perlege manè pios, & perlege nocte, libellos:

Piæ lectioni vacandum.

Pabula nempè pius præbet opima liber;
Cor languens reficit, tabensque saginat: amoris,
Cùm tepuere, fovet lumine, & igne, faces.
Sponsus ibi menti loquitur cœlestis amanti:
Audit ibi Sponsum, mens peregrina suum.
Quas cautus fugias retegunt pia scripta salebras:
Quos tutus calles ingrediare docent.
Divinis animos perlecta afflatibus implent,
Non secus ac placidi carbasa laxa noti.
Non ità culta novis viridaria floribus halant,
Ut redolet monitis charta referta piis.
Cordis ad hæc crebros attolle vireta volatus:
Per thyma sic volitant summa frequenter apes.
Elisiis æquanda favis sibi Spiritus, illic,
Quæ libet saturo pectore, mella facit.
Ægypti cæpas, pingues fastidit & ollas:
Quod pluit è cœlo, tunc bene manna sapit.

Nu-

M *Amans Deū, & proximum debet diligere.*

Numen ibi totis disces adamare medullis,
Et tibi tunc fratris quilibet instar erit.
Scilicet ore tenus, non pectore, Numen amaret,
In socios tepido qui foret igne flagrans.
Omnibus ingenuus præcordia pandit amator:
Quilibet est flammæ proxima meta suæ.
Communes igitur, fraterno more, sodales,
Et propter Numen, dilige, quotquot amas.

N *Inimici etiam sunt diligendi.*

Sentiat hostis adhuc sinceri pignora amoris,
Turgidaque officio subjice colla pio.
Lingua bonum probris nomen si lanciuet audax,
Ne stolidis probris reddere probra velis.
Si gena jactato digitorum tinniat ictu,
Tu colaphis aliam porrige sponte genam.
Lædenti faveas: convicia falsa vomentem
Perfer: dona ferant, quæ nocuere, manus.
Præbe alimenta tuo, si forsitan esurit, hosti;
Dumque siti fervet, pelle liquore sitim.
Ardua neve putes cœlestis jussa magistri:
Reddidit exemplis nempe imitanda suis.
Quæ docet, implevit: quæ præcipit, ante peregit:
Mancipium, Domino quæ placuere, decent.
Hostibus at dulces quoniam debentur amores,
Plus non infensus pauper amandus erit.

O *Pauperibus eroganda eleemosyna.*

Impigra mendicæ succurrat dextra phalangi:
Sollicitam supplex sentiat æger opem;
Teque juvante, diù rigidum mitescere fatum,
Ærumnasque graves cedere, noscat inops.
Extera pauperies faciles ducatur in ædes,
Sitque tua in miseros officiosa manus.
Protegat à brumà nudos data vestis egenos,
Pallentemque fuget provida mensa famem.
Prodiga dùm saturo celebras convivia luxu,
Nec finis impasto ventre latrare canes,
Jejunæ facias latrent ne viscera plebis,
Neve quis impransus clamitet ante fores.

Com-

Commoda Fortunæ Rector tibi maximus orbis
Mendicis partim distribuenda dedit.
Non auri es Dominus, sed dispensator: avari
Dispensatoris crimina plectit herus.
Helluo, qui panis languenti frusta negavit,
Traditus æternis ignibus ardet adhuc.
Guttam poscit aquæ, flammæ quæ temperet æstus:
Guttula nulla datur: flamma perennis erit.
Quæsitum miseris concedere disce levamen:
Lex jubet; impellit pœna; suadet amor.
Sæpe frequens inopum per compita repperis agmen:
Seu taceant, poscunt, sive querantur, opem.
Ulcere, filiolis, precibus, squalore loquuntur:
Viscera si durus claudis, amore cares.
Est tibi frater inops: Pater est communis utrique
Numen: ama fratrem: jussit amare Pater.
Divide promptus opes, quibus arca referta gravatur:
Pondere nummorum pressa crumena gemit.
Segniter in loculis ignava pecunia dormit:
Paupere fructificant æra reposta manu.
Servatus fœtet, dispersus pinguia reddit
Arva fimus: similis sit tibi gaza fimo.
Sparge, ut emas cœlum. Numen cum fœnore reddit,
Quas inopi miserans dextera fundit opes.
Si census deerunt, patrimonia pectoris offer:
Corde juvat quisquis posse juvare cupit.
Adjice blanda tuis linguæ solamina votis:
Auxilii pondus verba frequenter habent.
Consilium dubiæ, nutanti robur, anhelæ
Lenimen menti suppeditare vales.
Carcere detentos, prostratos febre, triremi
Addictos crebrò visere suadet amor.
Visere ne renuas: & quamvis lurida tabes,
Fœtor & obsistant, visere perge tamen.
Nec dubites ægris epulas aptare palatis,
Et bene compositos igne fovere toros.

P
Alia misericordiæ opera exercenda.

Ul-

Ulcera linteolis ſanie manantia terge:
Infectas ſordes verrere dulce puta.
Quæ præſtas aliis, ſibi, munera, Numen adoptat:
    In famulis Domino ſervit amica manus.
Corpora dùm curas, ægras ne deſere mentes,
    Queis illas releves, pharmaca vocis habes.
Servitio dextræ monitus adjunge ſalubres:
    Officiis certent lingua, manuſque piis.
Quæ magis apta animo cenſes medicamina præbe,
    A morbis liber ſurgat ut ille ſuis.
Sit culpæ quàm fœda lues oſtende nocenti,
Ut culpas deflens deſinat eſſe nocens.
Quis dolet? innocui recolat fac vulnera Sponſi:
    Plura pati cupiens deſinet eſſe dolens.
Æternæ memora languenti prœmia vitæ,
    Langueat ut vitæ prætereuntis amor.
Fac valeant animi, quos corpora laſſa fatigant,
    Ut cœleſte leves aggrediantur iter.
Invalidus lento calcat pes compita greſſu:
    Vix radit placidum navis onuſta fretum.
Sunt animi languor noxæ: ſunt ſarcina cordis:
Ad cœlum ire vetant: aut remorantur iter.
Culpa gravis vetat ire: levis remoratur euntem:
    Sit deterſa gravis culpa, leviſque mone.

Aberrantes corripiendi.

Aſt ægram ſano quoties in corpore mentem,
    Preſſaque læthali crimine corda vides,
Confer opem monitis, verbiſque levamen amicis:
    Balſama ſunt monitus: pondere verba levant.
Si tamen in blando ſermone graveſcere morbum,
    Robur & enervans gliſcere noſcis onus,
Ne mage crudeſcat leni medicamine tabes,
Ne cadat attritus mole premente vigor,
Fervoris tunc àdde faces, placidoque miniſtret
    Alloquio vires ſanctus in ore furor.
Mollis dextra vetus quoties exaſperat ulcus,
    Docta ſecat ferro, concremat igne manus.

Quas

Quas non ſpiſſa ſalix ripis glomerata coercet,
Luctantes arcet ſaxeus agger aquas.
Corripe aberrantes, gelidaſque recalface mentes:
Læthifer abſcedat, voce fugante, ſopor.
Pellitur applicito ferro candente veternus:
Excitat ignitus torpida membra ſcyphus.
Inſcius abruptos quoties ſubit advena calles,
Præcipitis retegit quiſque pericla viæ.
Dùm nimio ſonipes oneri ſuccumbit anhelus,
Prompta fatiſcenti dextera præſtat opem.
A recto cæli, qui peccat, tramite flectit:
Linquat ut anfractus, corripiendus erit.
Procumbunt miſerâ culparum mole nocentes:
Excuſſo ſurgant pondere ſæpe mone.
Corpore mens potior plus corpore debet amari:
Cui (niſi deliret) ſit mage charus equus?
Auxilium fratri renuis ſi ferre cadenti,
Nec tibi fratris amor, nec bene Numen amas;
Numinis imperio ſiquidem parere recuſas,
Tænariumque animas limen adire ſinis.
Senarum Catharina decus, ne inferna pateret
Terrigenis ſtygio Regia ſepta lacu,
Optabat diris æternùm aſſidere valvis,
Objectoque aditum poſſe vetare ſinu.
Quid non tentaſſet, modo clauderet oſtia Ditis,
Tartara quæ voluit, ſed ſine labe, pati.
Ne pereant animæ, refugis cur promere voces?
Numine cur læſo, gutture verba prêmis?
Quiſquis amore flagrat, probris ſuccenſet amati:
Scilicet alterius tangitur ille malis.
Corde gerit vulnus, quod corpore ſuſtinet alter,
Non ſua, pluſque ſuis, vulnera ſentit amans.
In ferrum, flammaſque ruit, fuſoque cruore
Mergere, quæ patitur, non ſua damna cupit.
Tranſadigunt telis divinum pectus acutis
Mortifera æternæ prævia facta necis.

Cœ-

Cœlesti peccans hostem se prodit amanti,
Irritaque infenso spicula corde jacit.
Frangere vesanos Erebi si negligis æstus,
Percita queis hominum pectora cæca furunt;
Obductas atrâ scelerum caligine mentes
Si non vis luci reddere, amore cares.
Humanas linguæ tonitru disrumpe tenebras,
Et cœlo fusas vocibus adde preces.
Lux mundi pellet genitam de crimine noctem:
Auferet æternæ Vita pericla necis.

Suffragiis Defunctorum animæ levandæ.

Nec solùm vivis; etiam queis stamina vitæ
Atropos abscidit fratribus adfer opem.
In centro Mundi, barathro conterminus imo,
Horridus & piceo prominet igne sinus.
Corporis exuviis animus tellure relictis,
Solvit ibi pœnam, siqua luenda manet.
Uritur accensis divino flamine prunis,
Evolet ad patrios ut sine sorde lares.
Segregat effossi cœnum sic flamma metalli:
Pumice sic scabro charta polita nitet.
Ignivomo manes religati carceris antro
Suppetias mœstis quæstubus usque petunt.
Scilicet egressi meriti tentoria, nullum
Exercere valent, quo releventur, opus.
Ergo fer auxilium, gemituque gementibus adsis:
Mitior est illis, dum gemis ipse, dolor.
Luctibus adde preces: suspiria selige Jobi,
Quæ plangente cavo concinit ære chorus.
Delubri atratas nec visere tædeat aras,
Densa ubi cera micat, bustaque thure calent.
Incitet haud gressus, quæ tramite surgit aperto,
Mobilis, & luxus spissa taberna ferax.
Cogat iter Pietas: adferre levamen amicum
Scilicet una potest manibus illa piis.
Carceris illa valet solidos confringere vectes:
Illa perurentes attenuare faces.

Flam-

lamma tepet purgans, tumulo cum cereus ardet:
    Ignea luſtralis ſtagna coercet aqua.
Sic largo æſtivi miteſcunt imbre calores:
Sic blanda iratum temperat aura ſalum.
Ut tamen ad ſuperas nitidus citò pervolet ædes R
    Spiritus, Angelicis aſſideatque choris;
Sæpiùs auguſti committe piacula Sacri:
    Cœleſtes reſerant manibus illa fores.
Vitalis renovantur ibi myſteria ligni:
    Hoſtia, quæ domuit Tartara, Numen adeſt.
Victima mactatur ſine ſanguinis imbre: cruentæ
    Suffecta eſt expers ſanguinis Ara Cruci.
Non madeat fuſo quamvis Altare cruore,
Attamen effuſi dona cruoris habet.
Hoc pretio oblato ſolventur vincla, tenebræ
    Diffugient, liber Spiritus aſtra petet.
E latebris Orci, quibus alma caterva piatur,
    Effer ad æthereos corda, manuſque lares.
Prompta repoſce piis Divorum munera votis;
    Quique juvas alios, ipſe juvere roga.

Sancti cum Chriſto regnātes invocandi.

S
Cœlicolis meritos, ut profint, confer honores;
    Exhibitus lucro nàm tibi cedet honor;
Nempè beata cohors, Summo dilecta Tonanti,
Supplicibus populis auxiliaris adeſt.
Avocat ultrices deſpecti Principis iras:
    Dona frequens miſeris uberiora petit.
Cordibus illa novos exorat amantibus ignes:
    Ut caleant, tepidis impetrat illa faces.
Propitium ſibi Numen habet, cui contigit Aulæ
    Sidereæ gratas obtinuiſſe preces.
Si Cœli Procerum favor eſt optandus amanti,
    Eſt mage Reginæ conciliandus amor.

Patrocinium BB. Virginis implorandum

Cincta caput ſtellis, & ſplendida Solis amictu,
Sceptra tenens, Regis promicat alta throno, T
Æthereum ſuperat lucis fulgore Senatum,
    Lumine Sol oriens vincit ut aſtra ſuo.

Imperat è Solio: Cives famulantur Olympi:
A nato regimen jure parentis habet.
Virginis eft nato data plena à Patre poteftas:
A nato matri tradita plena fuit.

Obfequia SS. Virgini exhibenda.

Obfequiis Almæ lucrabere corda parentis;
Parva nec excludas: nam quoque parva placent.
Dum feptena Dei Genitricis fefta recurrunt,
Attentus, vigilans, fobrius illa cole.
Virginis effigiem quoties per compita cernis,
Pronus fifte, caput detege, profer *Ave*.
Profer *Ave*, moles dùm tinnit ahena, diei
Sit quota labentis, noctis & hora monens.
Cùm meditanda legis, fculptis, quæ dulce MARIÆ
Nomen componunt, ofcula fige notis.
Virginei terquina frequens myfteria ferti
Volve: pio fluxu labra, manufque fonent.

Amans Deum amare debet & Virginem Dei Matrem.

Natus amat matrem: Natum fi diligis, illam
Dilige: vult Natus fit tibi Matris amor.
Penfat amore fuo, Matri quem reddis, amorem
Natus: Te Mater diligat, ipfe jubet.
Penfat amore fuo, Nato quem reddis, amorem
Mater: Te Natus diligat, ipfa rogat.
Dilige Virgineam diva cum prole parentem:
Tunc bene amare fcies: Tunc redamandus eris.
Jamque tenet portum ventis afflata fecundis,
Nec mage nunc velo, & remige Navis eget.
Feftivum plaudit bene amantibus ætheris agmen:
Cœlica dùm fervent gaudia, Mufa tace.

Se-

Selectæ Patrum Sententiæ.

Ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non est altera, August. t. 1. l. 10. Conf. c. 22. n. 32. A

Vere felix est (homo) *non si id habeat quod amat, sed si id amet, quod amandum est*. Aug. t. 4. 1. p. Enar. 2. in psal. 26. num. 7.

Si Deus est Summum hominis Bonum sequitur profecto, quoniam Summum Bonum appetere est bene vivere, ut nil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. Aug. t. 1. l. 1. de mor. Eccl. c. 25. n. 46.

Quid internæ decor faciei, nisi puritas? Bern. in Cant. ser. 62. B

Quommodo diligis eum, cujus odisti præceptum? Aug. t. 3. p. 2. in ep. Jo. c. 4. tr. 9. n. 11. C

Quis est qui dicat, diligo Imperatorem, sed odi leges ejus? In hoc intelligit Imperator, si diligis eum, si observentur leges ejus per Provincias. Aug. ibid

Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. Aug. t. 3. p. 2. tr. 75. in Evan. Jo. c. 14. n. 5.

Sicut tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt, nec lucem sinunt videre, nec se. Aug. t. 4. p. 1. in psal. 18. enar. 1. n. 13.

Sicut vita corporis anima est; sic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus, cum animam emittit; ita expirat anima, cum Deum ammittit. Deus ammissus mors animæ: anima emissa mors corporis. Mors corporis necessaria: mors animæ voluntaria, Aug. t. 5. ser. 62. n. 2.

Si hærere illi (nempe Deo) *vita est, recedere ab illo mors est*. Aug. t. 4. p. 2. enar. in ps. 145. n. 7.

Cum causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur,

aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere. Aug. t. 3. tr. 51. in cap. 12. Jo. n. 10. in fine.

Mallem purus à peccato, & innocens gehennam, quam peccati sorde pollutus cœlorum Regna intrare. Ansel. l. de Similit.

D *Nemo se falsa securitate decipiat: nemo de suis viribus periculose præsumat.* Aug. t. 5. Ser. 250. de temp.

Utilius est ut infirmum se cognoscat homo, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. Aug. ibid.

Periculosa securitas est vicino serpente dormire. S. Hyer. con. Vigil.

Non erubescamus fugere. Gloriosa enim hæc fuga est fugere à facie peccati. S. Ambr. de fug. Sæc. c. 4.

E *Sicut homo debet prius sustinere mortem, quam peccet mortaliter, ita etiam quam quod peccet venialiter.* D. Th. in 4. d. 18. q. 2. ar. 4.

Etsi non sumus sine peccato, oderimus tamen ea: & maxime nos à criminibus abstineamus: abstineamus, quantum possumus, à levibus peccatis. Aug. t. 5. Ser. 181. n. 8.

Ità levia peccata plangebat, ut eam gravissimorum criminum crederes ream. D. Hyer. ep. 27. ad Eustoch. de S. Paula.

Bonarum mentium est, ibi etiam aliquo modo culpam agnoscere, ubi culpa non est. D. Greg. l. 12. Reg.

F *Omne, quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè, fideliter.* Bern. in Cant. Ser. 16.

Non potest homo, quandiù carnem portat, nisi habere vel levia peccata. Sed ista, levia quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis; expavesce, quando numeras: levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen: multa grana faciunt massam. Et quæ spes est? Ante omnia Confessio. Aug. t. 3. p. 2. c. 1. tr. 1. in Jo. ep. n. 6.

Si

Si de infirmitate vitæ subrepserit peccatum, continuò vide, continuò displiceat, continuò damna. Aug. ibid. n. 7.

Peccavi peccatum grande. Turbatur Conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Ber. in Cant. Ser. 61.

Quid tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio? Ser. 62.

Irascere quia peccasti, & puniens te ipsum noli peccare. Aug. t. 5. Ser. 19. n. 2.

Ut creetur mundum cor, conteratur immundum. Ib. n. 3.

Displiceamus nobis, quando peccamus, quia peccata displicent Deo: Et quia sine peccato non sumus, vel in hoc Deo similes simus, quia hoc nobis displicet, quod illi. Ib. n. 4.

Munditia cordis fit per virtutes, & dona. D. Th. 2. 2. q. 8. ar. 7. G

Vestræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. Ber. Ser. 4. in Adv.

Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo. Aug. t. 3. p. 2. in ep. Jo. c. 4. tr. 9. n. 9. H

Quid melius & animo geramus, & ore promamus.... quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Aug. ep. 67. & modò 41. I

Quales pedes habet dilectio? .... Nemo potest dicere: Habet tamen pedes; nam ipsi ducunt ad Ecclesiam. Aug. in t. 3. p. 2. ep. Jo. c. 4. tr. 7. n. 10.

Undique tibi omnia resonant Conditorem, & ipsæ species creaturarum voces sunt quædam Creatorem laudantium. D. Aug. t. 4. p. 1. Enar. 2. in ps. 26. n. 12.

Laude illius, ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia con-

conciliari. Aug. t. 3. p. 2. de Ser. Domini in mon. l. 2. c. 4. n. 15.

K *Nil aliud, dum psallitis, quàm quod psallitis cogitetis.* Ber. in Cant. Ser. 47.

Secede sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Ber. in Can. Ser. 40.

L *Modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* D. Ber. Serm. in Nat. Virg. de Aqueductu.

Hypocritarum est præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus. Aug. t. 3. p. 2. de Ser. D. in monte c. 3. n. 12.

Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi; toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. Bern. in Cant. Ser. 21.

M *Si quis dixerit, quoniam diligit Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Unde probas, quia mendax est? Audi: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* August. t. 3. p. 2. in ep. Jo. c. 4. tr. 9. n. 10.

Inimicum hominem, quoniam nihili est, pro eo, quod non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam teipsum, qui Deum diligis: Diliges tamen, ut diligat. D. Bern. in Cant. Ser. 50.

N *Plena misericordia, ipsa est perfecta misericordia. Ipsa est, quæ amat, quæ diligit, etiam habentem se odio.* Aug. t. 4. in ps. 102. n. 11.

Extendite dilectionem usque ad inimicos: Securi estote. Ibid. n. 14.

Beatus, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Aug. t. 1. Conf. l. 4. c. 9. n. 14.

Sævit in te homo: Ille sævit, tu deprecare: ille odit, tu miserere. Aug. t. 3. c. 4. in ep. Jo. tr. 8. n. 11.

O *Quæ sunt tua superflua, sunt pauperibus necessaria.* Aug. t. 5. Ser. 61. n. 12.

De-

Dedit vobis unam viam, istam vitam. Invenistis vos comites, unam viam ambulatis: Ille nihil portat, tu nimium oneratus es .... da illi de eo, quod habes; & illum pascis, & onus minuis. Ibid.

Desideravit guttam, qui non dedit micam: non accepit justa sententia, qui non dedit crudeli avaritia. Aug. t. 5. Ser. 178. c. 3. n. 3.

Damus terram, & accipimus cœlum. Damus temporalia, & accipimus æterna. Damus quod dedit Deus, & accipimus ipsum Deum. Aug. t. 5. Ser. 177. n. 10.

Debet & proximum diligere tanquam seipsum, ut quem potuerit hominem, vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coercitione adducat ad colendum Deum. Aug. t. 2. ep. 155. c. 4. n. 15. P

Quisquis rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente Deum diligat. Aug. t. 3. de doc. Chr. l. 1. c. 22. n. 21.

Quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Aug. t. 4. enar. in ps. 37. Q

Non poterit à corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit. Greg. Nyssen. in orat. pro mortuis.

Multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare. S. Greg. l. 4. Dial. c. 55. R

Quod eorum (idest Sanctorum) *memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum.* Bern. Ser. 2. de fest. omn. SS. S

Sanctorum vel Angelorum, vel hominum crebras pro nobis intercessiones apud misericordiam pii Conditoris quæramus. Beda l. 4. in Cant.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Bern. Ser. 2. sup. missus est. T

Rogamus te, Domina, per ipsam gratiam, qua te pius, & Om-

& Omnipotens Deus sic exaltavit, & omnia tibi secum possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum nobis impetres, & obtineas, ut plenitudo gratiæ, quam meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati præmii nobis misericorditer quandoque donetur. Ansel. de excel. B. V. M. c. ult.

Bona Mater oret, & exoret pro nobis: Ipsa postulet, & impetret quod expedit nobis: Ipsa roget filium pro filiis, Unigenitum pro adoptatis, Dominum pro Servis. Bonus Filius audiat Matrem pro fratribus; Unigenitus pro his, quos adoptavit; Dominus pro his, quos liberavit. Ansel. orat. 51.

DE

DE ARTE BENE AMANDI,

SIVE

DE DILIGENDO DEO

LIBER TERTIUS.

Argumentum.

Cum in Amore Dei varii ſint gradus, ut ad ſupremum, divina gratia freti bene Amantes, aſpirent, in hoc tertio Libro alliciuntur: adeòque Deo ad perfectionem cor excitanti ſtatim eſſe reſpondendum, ne faciem ſuam avertat, è Sacris Canticis oſtenditur: & impedimenta omnia fore amovenda, magnanimo S. Alexii exemplo demonſtratur: Carnis maceratio (moderata tamen, & ad nutum æquè docti, ac probi Directoris frenanda;) à licitis etiàm oblectamentis abſtinentia; & vanæ curioſitatis abdicatio, ſpiritualibus hominibus, qui Sacros Heroes ſibi præfigunt imitandos, veluti perfectæ dilectionis fundamenta, præſcribuntur: ipſos etenim ſemper, & ubique de Deo loqui amor edocet, & ad normam Canticorum Sponſæ ſuaviter impellit. Jugis Dei præſentia; per creaturas ad Creatorem aſcenſus: & orationum (quæ aptè Jaculatoriæ, motuſque anagocici nuncupari conſueverunt) uſus frequens ſummopere com-

commendantur. Meditationis utilitate indicata, meditandi modus explicatur, & ariditatis, qua interdùm anima conficitur, causæ, atque remedia proponuntur. Spiritualis ebrietas mentis à sensibilibus alienatæ, & contemplationi divinorum intentæ ad mysticæ Theologiæ trutinam expenditur, & Sancta, ac innoxia Quies à noxio Quietistarum errore secernitur. Amor languens, Amor operans, Amor ardens, & Amor transformans, (quibus nominibus diversos gradus puri Amoris distinguunt Ascetæ) breviter exponuntur. Inducitur Sponsa, nempè Sancta, & fervens anima, Divinum Sponsum enixè rogans, ut patriæ deliciis, quibus adhuc in exilio degens, copiosè, frequenter affluit, imponat modum: interdùm quià corpore prægravante, illis ferendis est impar: interdùm verò, quià eisdem generosa virtute renunciat, ut impensius in hac vita patiatur, & cœlesti compatiatur Amanti. Ultimus gradus Amoris, quo anima Deo unitur, comparatur præcedentibus, & discrimen inter omnes hos gradus à Sanctis

Do-

Doctoribus insinuatum enucleatur. Denique describitur animæ amantis felix è corpore egressus, & triumphalis in Empyreum ingressus, ubi Summum Bonum, cui vivens in carne charitate adhæsit, clarè videbit, æternumque amabit. Ad veram autem, atque unicè optandam hanc Beatitatem, quæ verbis explicari non potest, affectibus indesinenter esse tendendum concluditur.

DE

Sidereæ postquam festivis plausibus Aulæ
    Obtigit ut posset nostra Camæna frui,
Aggreditur positas iterum percurrere chordas;
    Quæque silens hausit, cœlica jussa canit.
Sit licet in portu bene amandi doctus in Arte,
    Novit ad extremum qui bene amare diem;
Non egeant quamvis velo, nec remige amantes,
    Si monitus servant, quos didicere, pios;
Erudiendus adhuc tamen est, ut culmen amoris,
    Et celer, & fervens scandere possit, amans.
Sæpè simul plures dant vento carbasa puppes:
    Hæc serò littus possidet, illa citò.
Emicat una minus, magis altera flamma coruscat:
    Lumine nec rutilant astra vel ipsa pari.
Impare cùm niteant cœlestes luce favillæ,
    Et varii puro sint in amore gradus,
Ulteriora canam. Nova quippè implenda supersunt,
    Diligat ut melius, qui benè doctus amat.
Ars quod ames docuit: leges præscripsit amandi.
    Ultima pars operis perficienda venit.
Quem teneas dabit ista modum. Quis certus amandi
    Est modus? Est semper, semper amare magis. *Modus amandi Deum.*
Est nescire modum veri modus unus amoris:
    Qui certos servat, nescit amare, modos. A
Sat benè amare. Parum tamen hoc bene amantibus esset.
    Qui benè amat, nunquam credit amare satis.
Cœlestis nimis est Dilectus amabilis. Omnes
    Diligit ille nimis. Fas redamare nimis.
Non satis est, quamvis nimius sit pectoris ardor:
    Scilicet est merito semper amore minor.
Immenso immensus Deus esset amandus amore:
    Impar est illi limite clausus amor.
Queis puræ Seraphin flagrant incendia mentes,
    Sunt cinis: haud Domino digna tributa suo.
At quoniam quantùm debes, quantùmque meretur
    Numen amare nequis, quàm potes, illud ama.

B

Cor suprema tuum fastigia scandat amoris:
In summo constans sistere perge gradu.
Postquam igitur nullà pollutus sorde placebis,
Virtutum & censu divite gratus eris,
Ad majora animi vires intende: volatus
Concipe sublimes: nec, nisi magna, velis.
Magna velis, vult Numen amans. Stat ad ostia cordis;
Pulsat; & impatiens ad meliora vocat.

Deo vocanti statim respondendum.

Pulsanti cor pande citò: responsa vocanti
Redde optata: parùm si remoreris, abit.
Sic resides divina monent oracula amantes,
Comprobat & gemitu sponsa supina suo.

Canticorum Sponsus ad fores Sponsæ.

Rorifero cœlum nox texerat humida velo,
Cùm Sponsus Sponsæ constitit antè fores.
Pulsabat dicens, aperi mihi pura columba:
Fac pateant valvæ, dulcis amica, rogo.
Frigidulis alget mea frons aspersa pruinis:
Crispantes mollit deflua stilla comas.
Lubrica sunt vitreis humentia compita guttis,
Et fallit positos roscida terra pedes.
Sponsa recludе fores: aditum mihi janua saltem
Præbeat angustum semadaperta, precor.

Responsio Sponsæ.

Illa, piget dulci, respondit, surgere lecto:
Territat externus membra tenella rigor.
Deposui tepidas, gelidas modò sumere vestes
Nocturno gliscens tempore bruma vetat.
Laxatura fores si tangam limina, tellus
Fœdabit lotos pulverulenta pedes.
Sponse redi, quando radiis Sol ortus adultis
Configet noctis frigora, Sponse redi.
Tunc faciles pandam concusso cardine postes,
Tàm pulchro ut valeat visus amante frui.
Excipiam pronà tunc verba loquentis in aure,
Auribus & reddam dulcia verba tuis.
Iniicies victo victricia brachia collo,
Inque meo poteris membra fovere sinu.

Non-

Nondum finierat, cùm surgens ostia pandit,
    (Quippè diù non est desidiosus amor.)
At nullum vidit: dilectus namquè recessit,
    Audiit ut tepidas nectere verba moras.
Sponse veni, dixit: voces iteravit amicas:
    Qui responsa daret, non ibi Sponsus erat.
Anxia quæsivit, sed non invenit: eunti
    Pallia Custodes diripuere viæ.
Verbera plura tulit, tulit aspera vulnera: myrrhà
    Quin etiam molles immaduere manus.
Hinc reserare animi divinis vocibus aures
    Disce statìm: exiguæ diffuge damna moræ.
Ingrediare sui Numen penetralia cordis
    Afflatu quoties interiore monet,
Tende; nec ingressum venturas differ in horas:
    Est ibi cœlestis summus amoris apex.
I celer; utque sacri mereare arcana cubilis
    Angelicis consors participare choris;
Frange manu validà quæcumque repagula: metas C
    Nesciat excelsum, quod meditaris, iter. *Obstacula removenda.*
Linquere nè dubites patrios pro Numine fines,
    Nec grave sit notos deseruisse lares.
Non te dilecti valeant retinere parentes,
    Non valeant socii fœdera pacta tori.
Hæc pede magnanimo perfectus calcat amator: D
    Cœlicus est illis anteferendus amor.
Se magni rarum nobis exemplar amoris
    Præbuit Ausoniæ Sedis Alexis honor.
Ille aulam, census, fascesque reliquit avitos, *Heroica D.*
    Deseruit thalami jura marita novi. *Alexii fuga.*
Nox erat, & cæcam præcincta papavere frontem
    Lethæo curas merserat amne graves.
Expansis Orbem somnus contexerat alis:
    Mulcebat placidus lumina fessa sopor.
Insomnes unus ducebat Alexius horas,
    Ut sua tuta foret nocte silente fuga.

H Di-

Discessurus ait : Genitrix, & Sponsa valete :
Non facit ad nostras aula superba faces.
Aula mihi est cœlum; genitrix est, sponsaque, Numen
Numen adhuc vitæ præpositurus ero.
Externis nobis Deus est quærendus in oris :
Extera, cùm teneam, nulla erit ora, Deum.
Non igitur renuam peregrinas visere terras,
Ignotoque graves ferre sub axe dies.
Nulla meos poterunt tardare pericula gressus:
Non maris irati sistere coget hyems.
Si ratis ad scopulos allisa teretur in undis,
Findere inexpertas erudiemur aquas.
Bruma rigens impar extinguere pectoris ignes
Concedet flammis obsequiosa meis.
Attonitus sylvis qui prominet horror opacis
Non adiget tacitæ pœnituisse fugæ.
Seu Leo concusso glomerabit crine furores,
Sivè neces curvo dente rotabit aper,
Muniet invalidum divina Potentia pectus,
Ut spernam vestras, monstra cruenta, minas,
Illa peregrino concedet in Orbe levamen:
Illa meis votis auxiliaris erit.
Lilia si puro nihil anxia vestit amictu,
Et matutino crescere rore facit;
Non mihi deficiet loca Sacra invisere jusso,
Subsidioque aderit provida ubiquè suo.
Cur igitur vani non decessere timores?
Cur tædet lentas præcipitare moras?
Rumpo moras; timor omnis abit: quo cœlicus ardor
Me trahit, incessu non titubante feror.
O si libratum corpus per nubila, pennis
Extensis liquidum radere posset iter!
Jam pronus Solymæ venerarer in ædibus urnam,
Antè meus fuerat qua tumulatus amor.
At quoniam nobis non est tranabilis æther,
Cogar adorandas serò videre plagas,

Aspi-

Aſpiciam tandem monumenta beata: labores,
Advena quos patiar, ſpes facit iſta leves.
Vix ea, cum patrio deceſſit limine: juſſis
Stare diù lacrymis immaduere genæ.
Præbebat gelidum fugienti Cynthia lumen,
Ut comes in longas officioſa vias.
Sidera clara etiam tremulo fulgore docebant,
Qua vagus impavidum parte teneret iter.
Addebant animos rutilantibus aſtra labellis,
Congenitus profugum ſed revocabat amor.
Nàm modo cernebat mœſtà ſub imagine matrem
Scindentem canas ungue tremente comas.
Nunc languens inter productæ brachia mortis
Antè oculos ſtabat Sponſa relicta ſuos.
Tunc pietas dubios ſiſtebat tramite greſſus,
Et modò pes velox, & modò lentus erat.
Alter amor ſuadebat iter, ſuadebat & alter
Ad viduam reditus accelerare domum.
Ille renitentes cogebat currere plantas,
Quas ſtare ambiguà juſſerat iſte vià.
Sic dùm pugnaces irrumpunt æquora venti,
Obruta, queis latuit, cymba reſultat, aquis.
Sed vicit divinus amor: nàm pectus Alexis
Propoſiti extremum manſit ad uſque tenax.
Inferiora tuis, niſi ſint Heroica, votis,
Quæ tibi proponis conficienda puta.
Heroes æquare para: ſuperare juvabit;
Numinis auxilio nàm ſuperare vales.
Ut tamen exæques, ſupereſque; imitamine longo *Heroes imitandi.*
Calcanda eſt, illi quam tenuere, via.
Arcta quidem: tepidos ideò deterret amantes:
Aſt animæ, æthereo fervet ut igne, placet.
Plana fit, Heroum dùm quis veſtigia luſtrat:
Allicit audaci ſemita preſſa gradu.
Nos exempla movent. Hæc ſunt calcaria mentis,
Cor fervens, ſtimulo deficiente, tepet.

Utile velivolam remis impellere navem:
Utile, vel celeri, subdere calcar equo.
Cœlorum fastis ascriptos inspice cœtus:
Hi tibi, ut excellas, sint in amore duces.
Cùm bona prosequeris, semper melioribus insta:
Optima, quæ cernis, selige, & illa tene.
Nè generosa tamen fortis molimina mentis
Caro domanda.
Fraudibus elidat seditiosa caro,
Sub juga mitte ferox: nullum concede levamen:
Asperitas cœptis proderit ista tuis.
Cogitur apposito sonipes parere lupato:
Quæ fugit, impulsus taurus aratra subit.
Deme oculis somnos, & fercula deme palato:
Longa quies animo, lautaque mensa nocent.
E
Nunquam præcedat, relevas dùm membra, voluptas:
Accedat tantùm, si venit, illa comes.
Pareat, haud jubeat: velut apta ministra sequatur,
Nec Dominæ partes prævenientis agat.
Sit licet ancillæ fines contenta tueri,
Ut mereare magis, sæpè venire veta.
Nè veniat, cruciare breves addisce sopores:
Sic quandoquè sapor discruciandus erit.
Culcitra sint paleæ, duro caput assere vexa:
Delicias molles non feret iste torus.
Vulgares epulas absinthi gramine misce:
Illecebras nullas succus amarus habet.
Corporis in pœnas solamina vertere, fervens
Athletas docuit, quos imitaris, amor.
F
Edocuit loris proscindere terga cruentis,
Moderamen in Carne macerandа servandum.
Et setis rigidà pungere veste cutem.
In Carnem sævire decet. Tamen utere fræno;
Corpore nè presso mens quoque fiat iners.
Degit in exilio, quin carcere clauditur, artus
Spiritus humanos dùm movet, atque regit.
Sunt animæ famuli sensus, sunt organa mentis:
Non valet officium reddere læsa caro.

Illa

Illa domanda quidem, sed non delenda: furoris
Pars est, ni ratio temperet æqua, rigor.
Tænarius coluber, fractis ut viribus, arctum
Cogaris callem deseruisse, cupit;
Hinc sæpè insanos pœnarum suggerit ausus:
Sufficit immites, queis patiare, modos.
Instructis occurre dolis. Moderator, habenas,
Qui trahat, aut laxet, constituendus erit.

Directore Spirituali utendum.

Audiat hunc animus: decernat cæca voluntas
Linquere quæ prohibet, quæ probat ille, sequi.
Membra vetat laniare flagris: depone flagella.
Concedit: positi dona resume flagri.
Cingula frangantur, si mandat, ferrea: lumbis
Aptentur, quoties præcipit, arcta tuis.
Jusserit abstineas epulis: jejunia serva.
Jusserit ut comedas: abstinuisse cave.
Est tibi parendum, Stygius ne se ingerat hostis:
Mentito, ut fallat, lumine sæpe nitet.

G

Selecti monitus Medici non præterit æger:
Jussa Ducis servat miles, ut arma capit.
Marte voluptates at cùm leviore lacessis,
Tunc poteris cursu liberiore frui.
Non locus est fraudi, timor est nec membra fatiscant,
Quod gemat imbelli fracta cupido manu.
Illa cadet longo facilis certaminis usu,
Cùm disces placitis spontè carere bonis.
Permissa interdum solatia sensibus aufer:
Est, licitis, virtus strenua nolle frui.
Ogygii vesana Dei dum festa recurrunt,
Accedet palmæ messis opima tuæ.

A licitis oblectamentis abstinendum.

Flaminiam, qua biga frequens, temone corusco,
Auratisque rotis, itque, reditque, fuge.
Nec pete venalis subsellia spissa theatri,
Seu peragat mimus ludicra, sivè canat.
Perge Sacro potius perfusas sanguine cryptas
Visere, vel densà fulgida Templa face.

Aut dulces taciti ſeceſſus elige clauſtri:
A Mundi ſtrepitu proderit eſſe procul.
Scilicet effugies vicina pericula culpæ:
Quos vereare, dolis ſepta remota carent.
Flebis ibi fatuæ geminata piacula gentis:
Reddetur merces fletibus ampla tuis.
Abſterget lacrymas dilectum Numen amicas:
Æthereis ſuges mella liquata favis.
Quod ſi multiplices inhibent ſecedere curæ,
Nec datur ad paucos delituiſſe dies.
Pulpita ſi Circi fueris conſcendere adactus,
Aut phaleris nitidos cernere juſſus equos;
Subtrahe nolentem tremulis à vocibus aurem,
Cum blandis nimium tangitur illa modis.
Claude oculos ubi pompa venit, quam fama celebrat
Publica, cui vulgi garrula turba favet.
Theodoſius Junior.
Arcadio genitus ludi ſpectacula adibat,
Eripiens oculis apta placere ſuis;
Plaudentiſque hilari plebis reſonante tumultu,
Figebat nudo lumina preſſa ſolo;
Quippe voluptati nimis indulgere timebat,
A culpæ quamvis diſſita labe foret.
Sunt oculi cœlo nati: nec pabula terram
Suppeditare illis delicioſa decet.
Lumina nata ſibi polus exigit: optat ut ipſis
Deſipiant imæ gaudia falſa plagæ.
H Illecebras oculis nunquam permitte nocentes:
Innocuas etiam ſubtrahe ſæpè libens.
Cui placet in pulchris, qui pulchra hæc condidit, Author,
Pulchra placent: Author ſed magis ipſe placet.
Nè pulchra aſpicias retrahis dùm lumina, pulchro
Hæc Authore probas pulchra placere minus.
Pulchra oculos teneant, animam Deus occupet: aufer
Pulchra oculis, animam nè tenuiſſe queant.
Naribus interdùm fragrantes aufer odores:
In cupidà rarum perſonet aure melos.

Cùm tamen admittis, sis spontè carere paratus:
Non hæc, qui fervet, gaudia quærit amans.
Si cantu traheris, concentus elige sacros:
Plus querulis placeant tunc quoque verba modis.
Non ita mens debet modulis hærere canoris,
Tædeat ut placitum deseruisse melos.
Vana curiositas abdicanda.
Quo studio vanas arcebis ab auribus escas,
Si decet illecebras imminuisse pias?
I
Nil juvat æstivo sub vespere adire tabernam,
Discere quidvè novi menstrua charta ferat.
Bellorum casus, ineundæ fœdera pacis
Otia qui sequitur languida nosse cupit.
Quid tibi si vetulæ formosus nubat ephebus,
Duxerit aut fœdum compta puella senem?
Hic cur exul eat? nùm fœnore lucra pararit
Alter? cui moriens ille reliquit opes?
Non quærit perfectus amans; nec inania curat
Pabula nugarum, quisquiliasque sequi.
De Deo semper, & ubique loquendum.
Versat in ore Deum, loquitur cœlestia tantum:
Imo nempè Deum pectore sculpsit amor.
Navita de ponto: de mercibus institor: audax
De bello miles, nectere verba solent.
De pulchrà miscent sermones semper amicà
Igne cupidineo qui caluere proci.
Antè expers strepitus fulmen, sol luminis, æquor
Undæ, nativi flamma caloris erit,
Quàm sit mutus amor. De Numine fatur ubique, K
Tædia nec sentit, qui benè Numen amat.
Publica vox, Numen, privataque reddit, amatum,
Fundere non alios nititur ore sonos.
Quod sibi nempè sapit, sapidum putat omnibus esse,
Vel sapidum faciat lingua diserta cupit.
Quæ sunt nota sibi, sint omnibus agnita credit,
Nota vel efficiat sermo loquentis avet.
Exemplo Sponsæ Canticorum id ostenditur.
Hinc languens Solymæ narrabat Sponsa puellis,
Egregio sponsus quam foret ore nitens.

Dilectus meus est lectus de millibus unus,
(Dicebat) nigras explicat ille comas.
Excedit candore nives, ostrumque rubore
Vincit, & est auri dives honore caput.
Sunt oculi geminæ, quasi lotæ lacte, columbæ,
Quæ junctæ circùm plena fluenta sedent.
Sunt velut areolæ, spirant & aromata malæ:
Lilia sunt, myrrhæ sed, labra, rore madent.
Saphiris rutilat distinctus venter eburnus:
Cœruleo est plenas flore videre manus.
Stant crura, ut pariæ super aurea fulcra columnæ:
Ah! quantum dulci gutture mellis inest.
Qui formà præstat, qui totus amabilis, ille,
Ille unus meus est Sponsus, amorque meus.
Excelsas Sponsi dotes ut panderet Orbi
Sponsa, hæc, quæ cecini, mystica verba dabat.
Mens superæ spirans regionis cominus auras
Non nisi de summà scit Bonitate loqui.
Quæ terrena sapit peregrina videtur amanti
Lingua animæ: Mundi vix capit ipsa notas.
Numen quisquis amas, fervoris percitus œstro
Numinis in laudes labra resolve frequens.

Jugis Dei præsentia.

Sepè sit in labiis, sed nunquam à mente recedat:
Dilecti semper nàm meminisse decet.
Auferat ille dies, tibi noctes auferat unus:

L

Sit præsens animo nocte, dieque simul.
Dùm comedis, dùm carpis iter, dùm cætera præstas
Astantem memori respice corde Deum.
Summa tuis quamvis sit Lux aspectibus absens,
Tu Summæ Luci es proximus, ipsa tibi.
Fulget ubiquè, licet sit visibus abdita opacis:
Non visa, ut videas quod nitet, illa facit.
Est propè, nec cernis: tangit, nec sentis: ab illà,
Quæ movet, ambit, adest intùs, abesse putas.
Quæ sensus refugit, facies pulcherrima Sponsi,
Omnibus in pulchris aspicienda venit.

Quid-

M

Per Creaturas ad Deum aſcendendum.

Quidquid in Orbe vides, oculis, quem diligis, offert:
    Undique inacceſſi ſplendet imago Boni.
Exerit aut radios, mergit vel in æquore Titan,
    Æterni rutilas concipe Solis opes.
Te, mea lux, (tacito dic pectore) pronus adoro:
    Nil, tibi par formà, dives Olympus habet.
Si fulget gelido ſtellarum lumine cœlum,
    A te, quo niteant, Sidera lumen habent.
Quæ vehitur niveis argentea Luna quadrigis
    Mendicat claras Solis ab igne faces.
Nec lampas Phœbea ſuo fulgore coruſcat:
    Sol, quod fert aſtris, accipit ipſe jubar.
Si pulchrè radiant cœleſtia corpora, longè
    Pulchrior eſt Author, quo radiante, micant.
Si placet occiduis ſcintillans ignibus æther,
    Lucis inoccidux fons placet ipſe magis.
Te, mea lux, adamo: mea lux, te pronus adoro:
    Nil, ità formoſum, dives Olympus habet.
Florida vernantes dum pingit gemmula campos,
    Et circum leni murmurat unda ſono.
Jucundo mollis dùm ſibilat aura ſuſurro,
    Arboreas agitans ludere docta comas;
Ad Numen placidas ſuſpirans erige voces,
    Cordis & affectus effer ad aſtra tui.
Gemmantes roſeis campi ridete labellis,
    (Dices) eſt roſeo gratus in ore decor.
Blanda ſono leni circùm date murmura lymphæ:
    Neſcio quid veſtrum murmur amoris habet.
Ludite cum foliis venti, cum floribus auræ:
    Hic luſus purà ſimplicitate placet.
At fragilis ſi riſus agri, ſi murmura lymphæ
    Inſtabilis, ludens ſi placet aura levis,
Dulcior Author erit, Zephyros qui mulcet, & undas,
    Qui flores animat, dulcior Author erit.
Paſcitur ille inter cœleſtis lilia vallis,
    Lilia, quæ jugi roſcida fonte madent.

Li-

Lilia non aliis tam candida vallibus albent,
Nec tàm pura aliis fontibus unda fluit.
Elyſios ludit clementior aura per agros:
Tàm placida haud alias ventilat aura plagas.
Prata beata placent, dùm florent vere perenni:
Numinis aſpectu ſed magis illa placent.
Fons eſt ſignatus, Flos campi, Numen, & Auræ
Nomen habet: ſpirat, fragrat odore, rigat.
Pectoris incendit ſpirans, lenitque favillas:
Corda beat fragrans: mel ſapit, illa rigans.
Fons, Flos, Aura veni: ſpira, hala, funde liquores:
Fontem, Florem, Auram pectora Numen amant.
His, aliiſque modis ad Numen dirige mentem
Quiſquis amas: præſens ſic tibi Numen erit.

Orationibus jaculatoriis frequenter utendum.

At cum civilis glomerata negotia vitæ
Tàm carà prohibent poſſe quiete frui,
Utere tunc rapido curſu, tunc præpete pennà:
Cura breves fundas non vetat ulla preces.
Mi Deus, ut dicas, modò dicas, *dulcis JESU*
Nil obſtat, quamvis detineare foro.
Mi dilecte veni. Tu ſufficis unus amanti,
Nil, *niſi te*, *cupio*, dicere ubique potes.
Non aulæ officiis, læti aut clamore theatri
A teneris votis impediendus eris.
Effuſæ raptìm voces, ſuſpiria trunca,
Et tacito linguæ verba refracta ſono,
Sunt velut ignitæ ſalientes corde favillæ;
Sic redolent, ſacris thura ut aduſta focis.
Spicula ſunt valido fervoris jacta lacerto,
Spicula divinos apta ferire ſinus.
Has inter Mundi ſtrepitus vibrare ſagittas
Temporis in puncto prætereunte potes.
Pervade his jaculis ſurſum tendentibus aſtra,
Dilecto ut ſemper ſic potiare tuo.
Ipſa brevis cupidos abſentia torquet amantes:
Quiſquis abeſt, animo ſemper amantis adeſt.

Im-

Immemor eſt nunquam, qui ſemper fervidus ardet:
Qui ſemel eſſe poteſt immemor, ille tepet.
Multa boni placiti præſentia nutrit amorem:
Jugiter id, quod amat, cogitat omnis amans.
Aulicus optatos meditatur laſſus honores:
Quæſitas animo verſat avarus opes.
Intuitum Dominæ figunt præſentis in ora,
Diſtantis fingunt ora videre proci.
Occupet arrectam Sponſi divina venuſtas
Mentem. Luce Deus ſit tibi, nocte comes.
Seu vigilas, ſeu dormis, ama: laudemque ſopori
Numinis accerſat dulcis imago tui.
Cum vigil æthereas mens digerit anxia formas,
Ætherea in leni forma quiete redit.
Sopitis eadem phantaſmata nocte recurrunt
Senſibus interdùm, quæ coluere die.
In portu placidos dùm captat navita ſomnos,
Deſertæ verſat carbaſa tenſa ratis.
Sæpè ſuper ſtramen recubat dum paſtor agreſte,
Lanigeras tondet ſemiſupinus oves.
Lumina Venator cùm laſſa ſub arbore claudit,
Credit adhuc trepidas exagitare feras.
Innixus clypeo cùm ſtertit miles aheno,
Æra, licet ſileant, clangere rauca putat.
Si benè Numen amas, referent tua ſomnia Numen:
Sueta die, & noctu, mens, vigil aſtra petet.
Non orat, fateor, qui dormit: libera nàm tunc
Mens quoque dormitat: cor ſilet: ora tacent.
Sed tamen in ſomno ſopita revolvere norunt
Ora, vigil gaudes quas iterare, preces.
Indicium meriti ſopor exhibet ille diurni,
Quin valeat meriti fertilis eſſe ſopor.
Pervigil ad ſteriles fervorem protrahe ſomnos: *Actus euntis dormitum.*
Quàm potes, opta auſus continuare pios.
Quot cor dat motus, quot vena reciprocat ictus,
Et quot momentis tempora noctis eunt,

Tot

Tot cupias animo fidi dare pignora amoris,
Et totidem verbis dicere, *Numen amo*.
Vox *amo* fit nondùm taciti sonus ultimus oris:
    Truncet *amo* inceptum, qui ligat ora, sopor.
Dumque alas quatiens, quæ vinxerat, ora resolvit,
    Truncatum subitò lingua resumat *amo*.
Dicere sic poteris, *vigilat cor*, somnus amicà
    Tunc quoque cùm claudit lumina fessa manu.
Mentis ad hos motus nè torpeat ala, diurnus,
    Qui repit, pulvis discutiendus erit.
Excutiunt imi suspiria pectoris. Afflans
Vesperè sic Aquilo nubila densa fugat.

Examen Conscientiæ.

Utere post cœnam mores scrutante lucernà,
    Cordis in arcanos ducat ut illa sinus.
Ablue quod sordet: reseca quod displicet: adde,
    Ne tepeant, flammis fervida vota tuis.
Sic matutinis surges ferventior horis,
    Dilecti dotes ut meditere tui.

N

Orandum est semper:sed habent stata tempora amantes,
    Queis Sponso intentà mente vacare soleat.
Fercula corpus alunt: animum cœlestia pascunt:
Cœlica si desint pabula, languet amor.

Meditationi vacandum.

Dives inocciduæ fons est Meditatio lucis:
    Dat virtus lumen, dùm micat illa, suum.
Non aliter claro Phœbi redeuntis in ortu
    Gemmæ, quæ noctu delituere, nitent.
Splendida post Domini consortia plurima, Mosis
    E Sinà facies egredientis erat.
Divini ut propior Solis fulgoribus adsis,
    Cœleste ut referant ora, sinusque jubar,
Numinis alloquio præfixa dicabitur hora:
Nec cupias unquam transeat illa citò.
Labentis potius cursum quæ dirigit horæ
    Optabis cœptum clepsydra sistat iter.
Quos perdunt, stulti, dum vana loquuntur, amantes,
    Testantur celeres præteriisse dies.

Præ-

Prævia tunc atræ properare crepuſcula noctis,
Veloceſque dolent currere Solis equos.
Dulce magis reddunt cœli commercia tempus,
Quàm reddat verbis blanda puella ſuis.
Si fuerit tibi dulce loqui cum Numine, credes
Feſtinos Horam præcipitaſſe gradus.
Abrumpant nullæ meditandi tempora curæ:
Cœlicus eſt curis anteferendus amans;
Nempè potens, ſapiens, clemens, pulcherrimus ipſe eſt:
Immenſas dotes, quas mediteris, habet.
Hæreat immotum rationis lumen in illis:
Attonitos rapiet ſplendida forma ſinus.
Fervida tunc fundet ſuſpiria pectus anhelum,
Et gemitus madidos fletibus ora dabunt.
Interdum Verbi ſub carne latentis imago
Excitet accenſas apta miniſtra faces.
Sub ſpecie occurret formoſi ſæpè puelli:
Blanditiis puerum flectere diſce tuis.
Pupule blande (animo repetas hæc verba loquaci) *Affectus ad puerum Jeſum.*
Accipe quæ roſeis oſcula jungo genis.
Oſcula caſta animæ ne dedigneris amantis:
Te pueri formam ſumere juſſit amor.
Ah! ſi, quam vivo, tribuiſſes ducere vitam,
Te gelidi Bethlem cùm tenuere lares;
Hoſpita ſaxa mei properaſſem viſere Amoris:
Signaſſem preſſis ſaxa beata labris.
Care, tuis pernox vigilaſſem, Pupule, cunis,
Stringere me teneros ut paterere pedes;
Lacrymulis madidos poſſem vel tergere ocellos,
Frigida vel gremio membra fovere meo.
Nunc ſaltem tepido, mea vita, renaſcere cordi:
Igne tui cordis cor, precor, ure meum.
Cùm tibi vitali pendens è ſtipite Numen
Propones, udo lumine diſce loqui.
Heu! qualis Sacros ſqualor depaſcitur artus *Affectus ad Chriſtũ Crucifixum.*
(Dic calido mœſtas imbre rigante genas.)

En facies aulæ votis optata beatæ,
En mea Vita, meus Sponsus, Amorque meus.
Vulnificum sertum caput induit, exuit aurum:
Divino nullus fulget in ore decor.
Lilia labra quidem, stillant sed lilia myrrham:
Dulcia libato guttura felle madent.
Aurea spargebat pretiosos dextra hyacintos:
Livida sanguineis nunc rubet illa notis.
Corporis innocui numeret quis vulnera? servant
Vulneris unius vulnera mille modum.
Vos, vos squalores, spinæ, fel, vulnera, clavi,
Vos estis Sponsi pignora cara mei.
Pignora cara mei, dulcissima pignora Sponsi,
Vos memori semper pectore sculpta geram.
Transfixis manibus tunc ora madentia fige:
Transfixi capiant oscula crebra pedes.
Et lateri modò junge latus, modò junge labella:
Dulce latus labiis oscula dantis erit.
Junge latus lateri, cordi cor junge; reclusum
A te corda petit, fervet ut illa, latus.
Si lacrymæ deerunt, lacrymas pete; fortè rigabit
Flebilis unda genas, quod lacrymare nequis.
At, puto, non deerunt: adamas nàm pectoris Agnus
Innocuus largo sanguinis imbre teret.
Sanguine fracta suum diffundent corda cruorem:
Ille cruor, Sponso sanguinis, ille placet.
Ille placet: placitum sponso concede cruorem:
Sanguinis antè fuit prodigus ipse sui.
Meditandi modus. Talia dum peragis, magè cor, quàm lingua loquatur:
Plurima cor discet, voce silente, loqui.
O Est hic servandus Sponsæ tenor usque precanti;
Sit rarus sermo, multa tacendo roget.
Plus fantur gemitus, quàm verba; hæc sæpe labellis
Hærent: at gemitus pectoris ima tenent.
Dùm mens astra petit, debet comes ire voluntas:
Quo volat illa nitens, convolet ista flagrans.
Ar-

Ardeat hæc, quoties splendoribus illa redundat:
Perficiant cœptum splendor, & ardor iter.
Interdùm cæcis mens undique septa tenebris, *Ariditatis remedia, & causæ.*
Vix tenuis radium lucis habere valet.
Corda negant oculis dulces tunc arida fletus:
Dediscit teneros promere lingua sonos.
Hæc ubi contingent, crebros formidinis ictus
Ima lacessentis pectora trude celer.
Nativi vastà nihili dein mersus abysso,
Lux animo rursus fulgeat alma roga.
Cor sterile ut riguis, qui rorant æthere, nimbis
Fertile fit, poterunt obtinuisse preces.
Nunquam desistas. Immotus perfer, & insta.
Succedet nocti plena nitore dies.
Splendidior rutilat post nubes Phœbus opacas:
Fulgure ab æstivo purior Æthra micat.
Defervet tandem fractis maris ira procellis:
Sufficitur rabidis lenior aura notis.
Finditur Icarii tellus Canis ignibus usta;
Qui subit, arentem temperat imber humum.
Concipe spem. Veniet nova lux; nova flamma sequetur:
Illa umbras vincet mentis, & ista gelu.
Sponsus amans tepidos ut pectoris excitet ignes,
Sæpe solet vultus occuluisse jubar.
Ast radios dulcis formosior exerit oris,
Mens quoties clamat saucia, Sponse redi.
Vis retegat faciem? Lux alma revertere, jugi
Dic fletu querulos præveniente sonos.
Hinnulus ut cervi cursu vorat alite colles,
Sic propera celeri, Sponse, redire gradu.
Cur cunctaris adhuc? Mea Vita, revertere, quæso:
Vel potiùs quàm sic vivere, coge mori.
Annuet ut redeat, dabit oscula, terget ocellos:
Gaudia post reditus uberiora feret.
Si libata prius stillabant oscula myrrham;
Post infixa labris oscula melle fluent.

P

Tunc

Dei, & divinorum contemplatio.

Tunc anima, excussà veteri caligine, summum,
Ut contempletur, redditur apta jubar.
Nempè à terrenis pleno ad divina volatu
Fertur, ut ad centrum lucida flamma suum.
Pervolat, Angelicas pennis imitantibus alas:
Transcendit vires viribus aucta suas.
Intuitu pulchrum, quo mergitur, aspicit uno:
Forma nec obtutus multiplicetur eget.
Mira videt, sed visa stupens non percipit: ante
Quæ latuere, videt: quæ videt, ipsa latent;
Splendida quippe tegit caligo videntis ocellos:
Sed caligo, oculos quæ tegit, ipsa juvat.
Exul inaccessos ut possit ferre nitores
Spiritus, hæc rutilans, dum tegit, umbra facit.
Ferre dat immensam, sed non distinguere, lucem:
Quæ videat, nescit: quæ videt, illa placent.
Cætera nec cernit, potis est nec cernere: summum
Non finit aspiciat cætera pulchra jubar.
Sic oculus radio Solis propiore fatiscens
Lumine in ingenti lucida nulla videt.
Plurima sic quoties dulci chelis obruit aurem
Murmure, non alium percipit icta sonum.

Spiritualis animæ ebrietas.

Ducitur intereà mens ad Cellaria Regis:
Potat ibi mixtum lacte, favoque merum.
Vina bibit condita: sitim tunc explet anhelam;
Explet: at ipsa tamen crescit anhela sitis.
Nàm liquor, æthereus reficit quo crater amantes,
Cùm magis est potus, tunc magè dulce sapit.
Hauriat usque licet, nunquam fastidia sentit:
Lætitiæ semper dat nova signa novæ.
Nativò læti dùm ludunt æquore pisces,
Transiliunt modicùm, qua vegetantur, aquam.
Spiritus haud aliter divino percitus æstu
Exilit, & saltu fertur in astra brevi.
Non musto madidus, fervore sed ebrius ardet:
Fervor ab accensi cordis amore venit.

Ebrie-

Ebrietas omnem profligat Sancta teporem,
Reddit & ad mundi gaudia pectus hebes.
Enervat sensus, mentem sed viribus auget:
Fortior attritis sensibus illa viget.
Fervori, sacro qui pectus inebriat æstu,
Succedit placido mixta sopore quies.
Sicut at æthereus fert casta tripudia fervor:
Sic sopor est vigilans, est operosa quies.

Sancta, & innoxia quies à noxia Quietistarum errore secernitur.

Non hæc falsa quies, quam spondet hypocrisis audax:
Nomine nè ficto decipiare cave.
Flagitiis parat illa viam, virtutibus ista:
Ista operere jubet, segnis at illa vetat.
Illa preces, motusque pios, & vota salutis,
Queis flagrant animæ, damnat: at ista probat.
Illa reluctantes inhibet compescere sensus:
Prælia fœdifragis sensibus ista movet.
Ad Styga qui ducit læthalem diffuge somnum:
Sit tibi terrori desidiosa quies.
Spiritus exanimi dùm corporis instar hebescit,
Mente nihil promens, nullaque corde movens,
Non orat, nec amat, sed iners tabescit: inertes,
Qui nova semper agit, cœlicus odit amans.
Inferior laxis ubi pars procumbit habenis,
Pars hominis melior surgere in astra nequit.
Cum flammis prius unda, dies cum nocte coibit,
Et junget fœdus cum nece vita prius.
Quàm sursùm tendat virtutis perlita fuco
Improbitas, vitiis ingeniosa suis.
Terrestri vacuum pax vera cupidine pectus
Implet: pura beat non nisi corda quies.
Hanc maculæ, quamvis tenues, à cordibus arcent:
Hac Mundi affectus nè potiare facit.
Non aliter Solem nubecula celat adultum,
Rivulus & modico turbidus imbre fluit.
Vanarum, somnus, qui fert oblivia rerum,
Qui Sponsi tantùm commeminisse facit,

Ille bonus sopor est: etenim tunc pervigil, unum
Scire cupit Numen, cætera nescit, amans.
Indue cor simplex, & pennas sume columbæ,
Detur ut innocuâ posse quiete frui.

Uniformitas propriæ voluntatis cum divina.

Nil te delectet, nil te deterreat: unum
Terreat hoc, Sponso displicuisse tuo.
Hoc unum pariter delectet semper, & opta,
Posse placere illi, velle quod ille cupit.

R

Ille Pater Dominusque simul: Parere necesse
Est Domino: Patri dulce placere suo.
Arbitrio nec velle tuo, nec nolle relinque:
Cùm minus ipse voles, tunc magè liber eris.
Liber eris. Nam spontè voles, quæ nolle valebas:
Spontè etiam noles, quæ voluisse vales.
Lætus in adversis rebus, pariterque secundis
Persistes: fiet tunc quoquè dulce pati.

Crux amplectenda.

Sentibus est asper, qui ducit ad æthera callis.
Heu! quot terrificas explicat ille Cruces.
Vepribus horret adhuc magè densis trames Averni:
Pullulat hæc rigidis vallis ubiquè rubis.
Germina sunt spinæ mentis cognata rebellis:
Post culpam tribulis semita nulla caret.
Occurrent salebræ, lato seu carpat ad orcum,
Sivè arcto ad cœlum calle, Viator iter.
Sed tamen arctus habet contermina præmia callis:
Finitimas pœnas (hei mihi!) latus habet.

S

Crux Sponsi est thalamus, divini fulgidus ostro
Sanguinis: amplexus, oscula junge Cruci.
Sivè velis, seu terga Cruci supponere nolis,
Quod cupis, aut refugis, non minuetur onus:
Exilium comites si cogit habere dolores,
Quos ferres nolens, incipe ferre libens.
Detrectes si ferre; Crucem, quam respuis auges;
Proquè aucto est merces danda labore minor.
Ergo fer patiens: fer gaudens: perfer & ardens.
Crux desiderii meta sit una tui.

Ut

Ut valeat, succos hilaris bibit æger amaros:
Sume Crucem: est animæ certa medela pati.
Crux Sponsi est munus; divini est pignus amoris:
Munus ama Sponsi; pignus amoris ama.
Transfixum transfixus amans imitabere amatum,
Teque sibi similem diliget ille magis.
Sic cœlo vivens terræ morieris; eritque,
Dùm vivis cœlo, mortua terra tibi.
Dissolvi cupies, ut carnis compede liber
Numinis optato suscipiare sinu.
Cœlesti jaculata feres nova vulnera dextrà:
Cara tamen jaculum, dextera, vulnus erunt.
Intereà dulci fervoris languidus æstu,
Sollicitam trepidà voce rogabis opem.

T
Amor languens.

Langueo, ferte rosas (dices) date fulcra cadenti:
Cingite me malis: langueo, ferte rosas.
Fasciculus myrrhæ meus est mihi Sponsus: acuta
Infigit cordi spicula, & ora tegit.
Deficient vires, & pallor plurimus oris
Ostendet valido pectus amore premi.
Omnis amans pallet: victi penetralia cordis
Nam cruor è membris auxiliaris adit.
Exanguis referet læthum frons pallida Sponsi:
Hæc Sponsam in terris unica forma decet.
Languorem fert Divus Amor. Sed languor, amandi
Non adimit vires, auget, & urget ames.
Languet amans, non languet amor. Non reddit amantem
Languentem, quoties languet amantis amor.
Languet amans, quià fervet amor, quo pectora flagrant:
Cùm magè fervet amor, tunc magè languet amans.

V
Amor operans.

Sed tamen ignavum languor fugat iste veternum.
Otia nescit, amat qui benè: semper agit.
Magna facit, sed parva putat fecisse: recenset
Multa, ut pauca: timet, sint quoque multa, nihil.
Quem subit ille labor, vellet diuturnior esset,
Conqueritur spatio sustinuisse brevi.

Nempè volat, non vadit amans, dum fervet; & alis,
Non pedibus celſum radit amoris iter.

Amor ardens.

Igne micant puro celeres, quibus utitur, alæ:
Integer ipſe micat, purus ut ignis, amans;
Inſtar enim flammæ (quæ pars eſt purior ignis)
It levis, ac volucri ſplendor, & ardor ineſt.
Quo calet, & rutilat, ſensìm fervore liqueſcit:
Sic fluit accensà cera, niterque face.
Spargit ubiquè jubar, dulci conſumitur æſtu:
Fit Seraphin ſimilis luce, fit igne comes.

Amor transformans, & uniens.

Divino ſimilis quin fit redamatus amanti,
Splendores quamvis contegat ille ſuos,
Contegit. Ingentem Sponſi nam ferre nitorem
Mens humana gravi corpore preſſa nequit.
Aſcendiſſe gradum tamen hunc ſi detur amoris
(Rarus at in terris ſcandere novit amans)
Dilectum tunc Sponſa tenet, tunc oſcula miſcent;
Oſcula dat gaudens, oſcula caſta capit.

U

Quem tenet amplexu nollet dimittere: cogit
Dimittat nolens attamen ægra caro.
At quamvis dimiſſus adeſt, & abeſſe videtur:
Nempè ut mens vires laſſa reſumat, abeſt.
Non ergò amittit quem mentis feſſa relinquunt
Brachia: dimiſſum brachia cordis habent.
Dulcis erat præſens: non eſt minus utilis abſens:
Ut magè profit, abeſt: dein magè dulcis erit.
Gaudia nàm cœli fragili ſub carnis amictu
Exul ſponſa nequit ſuſtinuiſſe diù.

Sponſa rogans Sponſum, ut deliciis metam imponat.

Cogitur hinc Sponſum, quamvis invita, precari
Deliciis metas impoſuiſſe velit.
Blanditiis, quarum nimis es, pulcherrime, dives,
Nè tua me perimant munera, pone modum.
Non ſinè te poſſum, nec tecum vivere: poſſim
Ut tecum felix vivere, corpus obeſt.
Si tegis ora, necem tua fert abſentia: mortem,
Si nimis es præſens, ora retecta ferunt.

Eri-

Eripe, care, precor, miſeram de corpore: dulces
Illecebras expers corporis uſquè feram.
Sic fatur lacrymans: lacrymæ ſed pectoris æſtum
Non minuunt: lacrymas nàm calor ipſe parit.
Intereà cordis fibras depaſcitur ardor:
Quà ſuccenſa flagrat, flamma ſed ipſa placet.
Nè pereat, placitas optat lenire favillas,
Nititur urentes attenuare faces.
Sic ardens, gelidis aut membra refrigerat undis,
Aut nudat, mollis ſpirat ut aura, ſinus.
At nec lympha juvat, placidæ nec ſibilus auræ:
Aura faces auget, gliſcit & ignis aquà.
Scilicet æthereos recolit tunc anxia colles,
Lenè ubi flant Zephyri, pura ubi lympha fluit.
Dum meminit, piget eſſe procul: mergique beato, X
Cœlica quem vallant flamina, fonte cupit.
His deſideriis creſcunt incendia cordis:
Non Zephyri mulcent, non levat unda faces.
Eſſe inopes noſtras queritur leniminis auras,
Fontibus ac noſtris frigoris eſſe parum.
Quos non ſedat aquis, lenit nec flatibus æſtus,
Mitigat ætheræ flamen, & unda plagæ.
Miſſile tunc retrahit, tædas retrahitque calentes,
Ut lentè feriat, leniter urat, amor.
Blanditiis parcit, moderatiùs allicit: ægros
Nè perdat donis prodiga dextra ſinus.
Sæpè etiam, quas ferre valet, generoſa recuſat Z
Delicias, puro Sponſa ut amore flagrat.
Exilii comites nè temperet ulla dolores
Cœleſtis roris ſtilla beata rogat.
Optat flere, genas quin Sponſus tergeat udas,
Et madeant ſolo felle labella cupit.
Exiles reputat, minuunt quos gaudia, luctus,
Mixtaque melle parùm pocula amara facit.
Integris, donec vivat, tabeſcere pœnis
Flagitat, & nudum quærit anhela pati.

Sponſa deliciis cæleſtibus in hac vita renuncians, ut magis patiatur.

Seligit ipsa mori, si non patiatur amando:
Ut patiatur adhuc, respuit indè mori.
Displicet hæc, jugi nisi, vita, dolore fatiscat:
Quam cruciatus alit, languida vita placet.
Nunc magè vita placet: magè mors nunc grata videtur:
Cùm morti est similis, tunc magè vita placet.
Auferret mors posse pati: moribunda sed affert
Vita diù optatum posse in amore pati.
Delectat plus morte pati: diuturnius illud
Gaudia nempè manent uberiora pati.
Seu libet dulces rorantes æthere guttas,
Seu pœnas avido gutture potet amans,
Cœlesti gaudens, & languens hæret amato:
Læta, & mæsta ligat pectora gluten idem.
Vivo ego (semper ait) jam non ego vivo: Sed in me,
Quæ dabit æternùm vivere, Vita manet.
Est pectus cordis (Sponsus cor possidet) expers:
Cor Sponsi, ut possim vivere, pectus habet.
Felix Sponsa, gradum (gradus est hic summus amoris)
Cùm subit hunc, Sponso perfruiturque suo.

& *Comparatio ultimi gradus amoris cum præcedentibus.*

Inferiore gradu dùm stat, fit languida: quærit
Anxia: currit amans: distat at ipsa tamen.
Nam nisi distaret, non quærens, languida, currens
Esset: nè distet, languida quærit, adit.
Illa vocata vocat, quærit quæsita: vocantem
Non tenet: ut teneat, quærit, anhela vocat.
At cum sublimis fastigia scandit amoris,
Non magè tunc quærit: non magè anhela vocat.
Scilicet invenit, quem languida amabat, amantem:
Illa minus languet, cùm minus ille latet.
Languores abigit dulcis præsentia Sponsi:
Sic tenebras rutilo dissipat axe dies.
Mœsta silent oris suspiria, ut oscula sumunt
Blanda, priùs lacrymis quæ maduere, genæ.
Læta rubet facies: rubor est hic fervor amoris:
Flammeus è cordis prosilit igne rubor.

Scin-

Scintillant oculi tremulo fulgore: serenâ
Aurea non aliter sidera nocte micant.
Amplexu Sponsi fruitur dùm Sponsa pudico,
Quo caluit, castus fervet, & ardet, amor.
Antè calet; dein fervet amor, cum glifcit; at ardet,
Ut flammæ metas attigit ille suæ.
Accensum Sponsæ tunc pectus adurit amantis:
Urentes Sponsi diligit ipsa faces.
Tunc rapit, & rapitur, possessaque possidet: arctâ
Stringitur, & stringit: vita habet una duos.
Invida mors validos est impar scindere nexus:
Qui mentes jungit morte perennat amor.
Inter delicias, inter suspiria, vitæ,
Quam Numen statuit, tempora complet amans.
Liber ab exilio patrias dein transit ad oras,
Sumit in æthereis civica jura plagis.
Aligerum speciosa cohors comitatur euntem:
Obvius è cœli sedibus exit Amor.
Quam benè magnifici scintillet pompa triumphi,
Spiritus è terris victor ut astra petit,
Incola stellati vix musa recenseat orbis:
Sed tamen ut poterit nostra Thalia canet.

Triumphus animæ ad Cœlum migrantis.

Aureus egreditur, quem formant nubila, currus:
Nubila sunt nitido splendidiora die.
Hìc medius stat Divus Amor, face clarus, & arcu:
Sole magis rutilum fundit ab ore jubar.
Alma Fides dextram, lævam Spes occupat: ista
Stemma suum promit: pandit & illa suum.
Una caput peplo, peplo quoque lumina velat:
Explicat augustæ Sacra trophæa Crucis.
Altera at immotos effert ad sidera vultus:
Anchora adest: viridis corpora palla tegit.
Proxima Virtutum subsellia possidet agmen:
Ordine resplendet quæque locata suo.
Desuper Angelicæ volitant, plauduntque phalanges:
Dulcisonos format cœlica turba choros.

Pars canit una: lyram pars altera tangit eburnam:
Associant blandos cantica læta sonos.
Dulce melos geminant, ubi carnis compede fracto
Mens volat augustis excipienda rotis.
Convolat, & nondùm suetas tunc dirigit alas
Aliger ille, viæ qui fuit ante comes.
Hoc duce plaustra subit: frendent post plaustra Tyranni,
Quos pudet invalidas conseruisse manus.
Profligata Caro, despectaque Gloria mundi,
Tartareique lacus agmina victa furunt.
Biga triumphalis cœlestes transilit oras,
Convexi penetrans dena theatra poli.
Luce novà signat rutilos, quos attigit, orbes:
Lumine scintillant, quæ premit, astra novo.
Ut superum, reliquos rapientem, possidet axem,
Cœli Empyrei descriptio. Ætheræ apparent regna beata plagæ.
Desuper Urbs splendet perfecti rara decoris:
Tota auri mundi clara nitore micat.
Murus adest: niveo pellucet jaspide murus:
Tot gemmis radiat, fulcra quot ampla regunt.
Bissenas miro distinctas ordine portas,
Unio quas format cœlica, Murus habet.
Hic ubi pervenit, consistit limine, currus:
Desilit è curru læta corusca phalanx;
Aureaque ingreditur referatis atria valvis:
Antè fores tantùm Spesque, Fidesque manent;
Nempè illis aditus non est, ubi tuta cupitis
Mens fruitur donis, credita & antè videt.
Ingressus animæ in cœlum. Præcedit Sociam (Dux est Amor ipse) catervam,
Pergit & æthereos visere, Sponsa, lares.
Cœlicolæ occurrunt: applaudit Olympus ovanti:
Dat Civi amplexus turba beata novæ.
Pars legit ungue rosas; pars lilia carpit: eunti
Spargit flore vias utraque; flore sinus.
Pars nectit violas; pars texit flore corollas:
Ista comas implet floribus; illa manus.

De-

Deliciis redolens, cœtu comitante ſuperno,
Auguſtæ Triadis ducitur antè thronum.
Prona ibi velato Seraphim ſtant agmina vultu,
Alternantque hymnos irrequieta Sacros.
Concordi plaudit cœleſtis voce Senatus,
Sertaque deponens procidit antè thronum.
Emicat è ſolio, claris radiante Smaragdis,
Regia Virgo, Dei Filia, Sponſa, Parens.
Caſta parens nati; cariſſima Filia Patris;
Sponſa Paracleti; Numinis aula, thronus.
Luna pedes lambit, Sol veſtit, & aſtra coronant:
Sole, aſtris, Lunà pulchrior una nitet.
Sceptra tenet; Regi, quem carnis cinxit amictu,
Aſſidet; & Dominæ jura potentis habet.
Hæc Regina animam, Libani quæ fragrat odore,
Dilectam Nato ſiſtit, & ille Patri.
Quam mater Genito, Genitori Filius offert,
Et Nati, & Patris mutuus implet Amor.
Æternam Sedem, chlamydem, meritamque coronam
Felici Sponſæ deſtinat Alma Trias.
Luminis intereà perfunditur imbre coruſco,
Aptaque divinos fit penetrare ſinus.
Numinis arcano recubans ſecura cubili,
Antè cupita videt præmia, viſa tenet.
Quæ tenet, æternos cernit manſura per annos
Dona fore, & nullis imminuenda malis.
Abſorbet plenis non defectura labellis,
Et nunquam ancipiti gaudia fracta metu.
Nam dolor æthereis, luctus, mors exulat oris,
Et poſſeſſa ſemel munera fine carent.
Ipſe Deus viſus Sponſæ fit munus amantis:
Tunc viſo ſimilis Sponſa fit ipſa Deo.
Quàm Sapiens, dives, formoſus, amabilis eſſet
Cœleſtis Sponſus noverat illa prius.
Noverat has vario tectas ænigmate dotes:
In ſpeculo Solem viderat antè ſuum.

Animæ beatæ Gloria.

Qui tunc obscurà Fidei sub nube latebant
Splendores, scissà nube tegente, micant.
Jam facie ad faciem, quem diligit, aspicit: illum
Tàm clarè noscit, cognita ut ipsa fuit.
Noscit, amatque simul. Quem, cùm non vidit, amavit,
Ut modò semper amet, fitque beata, videt.
Quod videat, cœci merces est debita amoris:
Dat, quod amat, visi splendida Forma Boni.
Numen amare placet, quamvis sit amare necesse:
Quo liber minus est, est magè dulcis amor,
Quàm sit dulcis amor, quantùm sit amabile Numen,
Quàm niteant largà dona parata manu,
Non oculus vidit, nullas pervenit ad aures,
Lingua referre nequit, pectora nostra latet.
Cœlicolæ (verbis at non fas promere) norunt:
Ætheris ad clausas siste Thalia fores.
Ad valvas aulæ plectrum suspende beatæ:
Tendere quo nequeunt carmina, corda volent;
Ut secura volent, pulchri pia Mater Amoris,
Languidulas pennas dirige, confer opem.
Divinis niteant celeres fac ignibus alæ:
Cordis sat nobis una favilla tui.
Fac benè doctus amet, nostram qui legerit Artem:
Ut cecinisse juvet, fac benè doctus amem.
Finis adest operi: nunquam sit finis amoris:
Qui benè amare facit, morte perennat, Amor,
Ultima mandato claudantur carmina parvo:
Ut benè semper ames, non nisi Numen ama.

Se-

Selectæ Patrum Sententiæ.

CAusa diligendi Deum, Deus est: modus, sine modo diligere. S. Ber l. de dilig. Deo. A
Ipse modus est sine modo amare. Aug. t. 2. ep. 109. Severi ad August. n. 2.
Verus amor uno gradu contentus non est. Ad altiora semper nititur, & ad perfectiora indesinenter concupiscit attingere. S. Laur. Justin. de caf. Consc. c. 2. B
Ubi vocem, & pulsum audis dilecti ... ostium aperi: cuncta cedat obstacula. Gillib. Ser. 44. in Cant.
Ex hoc quod mens hominis amore, & desiderio ferventer in divina fertur, in quo perfectionem constare manifestum est, consequitur quod omnia, quæ ipsum retardare possunt, quod minus ad Deum feratur, abjiciat. D. Th. l. 3. c. gen. cap. 130. C
Præferenda est Religio necessitudini, pietas propinquitati. S. Ambr. Or. de fide Resur. D
Cum salus sit causa edendi, ac bibendi adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat quod salutis causa me facere, vel dico, vel volo: nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. D. Aug. t. 1. Conf. l. 10 c. 31. n. 2. E
Dum necessitati debita reddere studeo, voluptatis vitio deservio: sub velamine necessitatis cado in laqueum voluptatis. D. Bern de inter. domo c. 10.
Maceratio proprii corporis non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est in quantùm cum debita discretione fit. D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 2. ad 3. F
De rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimiò egestate, vel somni penuria immoderate corpus affligit. D. Th. ibid.
Si debilitare corpus, & conficere studeo, jàm non habeo,

quo

quo socio, & opitulatore ad res præstantissimas utar. Nazian. or. 16.

Sic debes reficere carnem tuam, ut serviat, & sic eam debes castigare per abstinentiam, ut non pereat. Si carnem tuam suprà modum affligis, civem tuum occidis; & iterum si eam, plusquam oportet, reficis, inimicum tuum nutris. Bern. Lib. de modo bene viv. ad Sor.

G *Nihil tam expedit animæ, quam obedire.* D. Aug. in ps. 70. Ser. 2.

Qui dulcius lacrymis charitatis? Flet quippe charitas, sed ex amore, non ex mœrore. Bernar. in Cant. Ser. 58.

H *Pulchras formas, & varias, nitidos, & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam: teneat eam Deus, qui hæc fecit, bona quidem valde, sed ipse est bonum meum, non hæc.* Aug. t. 1. Conf. l. 10. c. 34. n. 1.

De illecebra odorum non satago nimis. Cum absunt non requiro; cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere. Aug. t. 1. Conf. c. 32.

Voluptates aurium tenacius me implicaverant, & subjugaverant: sed resolvisti, & liberasti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi, & artificiosa voce cantantur, fateor aliquantulum acquiesco: non quidem, ut hæream, sed ut surgam, cum volo. Aug. t. 1. Conf. c. 33. n. 1.

I *Non de rebus* (loquendum) *inanibus, aut supervacaneis, cujus generis hæc sunt: quis magistratum gerit? quis magistratu abiit? qua de causa hic mulctatus sit? unde ille tantum lucratus sit, & locupletissimus evaserit? quid ille huic reliquerit, moriens? ... ac multa alia his similia.* Chrysost. tom. 5. Orat. Kalendis habita.

Videmus agricultores cum in unum coadunantur, repente, & sine tædio de iis, quæ agriculturæ sunt sermocinari, artifices de artificiis suis, mercatores de suis mercibus, Oratores de suis facultatibus confabulari. Proh dolor! Soli Dei servi, quæ proprio congruunt statui, audire,

dire,

dire, vel loqui non curant. S. Laur. Justin. de disc., & perf. Monach. c. 22.

Deum amans omnes ad amorem Dei exhortatur, omnibus amorem Dei commendat, & quam dulcis sit amor Dei, quàm malus, & amarus amor Sæculi omnibus demonstrat... Omnibus æstimat dulce quod sibi sapit, omnibus placere quod diligit, omnibus manifestum esse quod cognoscit. Aug. seu Author Manualis. K

Dulces faucibus Sponsæ laudes sunt Sponsi. Gil. Ser. 48.

Hoc est animi valde incensi, hoc ardentis amoris, omnes excitare ad laudandum eum, qui desideratur: Hoc animi, qui magnam assiduè capit voluptatem in cogitatione de Deo, qui stupet, & miratur ejus gloriam. Chrysost. t. 1. in psal. 148.

Hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant. S. Laur. Just. in Lig. vitæ de char. c. 11.

Loquitur de dilecto ut vere dilecta, & vere diligenda, quoniam diligit multum. Ber. in Cant. Ser. 67.

Vis nosse quid amas, attende quid cogitas. S. Laur. Just. in lig. vitæ de char. c. 4. L

Fidelis anima & suspirat præsentiam inbianter, & in memoria requiescit suaviter. D. Bern. lib. de dilig. Deo.

Dei memoria nunquam abscedat à te. Cogita illum semper adesse, teque illius conspectui semper assistere. Doroth. in vita Dosith.

Beatitudinis imitatio est jugis memoria Dei. D. Bonav.

Vbicumque sis, potes Altare tuum constituere. Nihil enim locus probibet, nec impedit tempus. Verùm licet genua non flectas, neque percutias pectus, nec in Cœlum manus extendas, si mentem tantam ferventem exbibeas, orationis perfectionem consumaveris: Licet enim, & forum petentem, & ambulantem per se, prolixas facere orationes: licet & in officina sedentem, & suentem pelles animam Domino dedicare. Chrys. t. 5. hom. 79. ad Pop. Ant. de Orat.

Li-

Licet in balneo sis, ora: Ubicumque sis, ora. Templum es: ne locum quæras.... Deus semper prope est. Chrysost. t. 5. hom. 79. ad Pop. Ant.

Negotium agis: laudet Deum anima tua. Cibum capis. Vide quid ait Apostolus, sive manducatis, sive bibitis omnia in gloriam Dei facite. D. Aug. t. 4. enar. in psal. 102. n. 2.

O summa, & inaccessibilis lux, quàm remota es à conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo! Ubique es tota præsens, & non te video. In te moveor, & in te sum, & ad te non possum accedere. Intra me, & circà me es, & non te sentio. D. Ansel. Prof. cap. 16.

In omni actu, vel cogitatu suo Deum sibi adesse memoretur, & omne tempus, quo de ipso non cogitat, perdidisse se computet. D. Bern in Spec. Monach.

M *Integer amator Dei quocumque se vertit familiarem habet admonitionem amoris. Rebus his pro speculis utitur, & in omne, quod cernit, sui amatoris sibi resultat memoria.* Rich. à S. Vic. de grad char. c. 3.

Si singula bona delectabilia sunt, cogita intente quàm delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum... Si multæ, & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis, & quanta delectatio est in illo, qui fecit ipsa delectabilia. D. Ansel. Prosol. c. 24.

Cum Deus res creatas in morem Scalæ viatoribus adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit. Basil Seleuc. Orat. 1.

N *Quanquam omne vitæ tuæ tempus divino debeas operi consecrare... debet tamen aliquis esse determinatus, & constitutus horarum numerus, quo plenius Deo vaces, & qui te ad summam animi intentionem, velut quadam lege contineat.* D. Aug. seu Author ep. ad Demetriadem.

Astat oranti hominis Dei Sacra imago, aut nascentis, aut la-

lactentis, aut docentis, aut morientis .... & quidquid tale occurrerit, vel stringat necesse est animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, desideria sedet. Ber. in Cant. Ser. 21.

Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio. Aug. t. 2. ep. 130. c. 9. n. 20. O

Plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu, quam affatu. Ib. c. 11. n. 20.

Ora in spe; ora fideliter, & amanter; ora instanter, atque patienter. Ib. c. 16. n. 29.

Non propterea à prece cessandum ...., sed eo instantius orandum Bonav. de process Relig. proc. 7. c. 10.

Sincerissimis medullis, castisque suspiriis ipsum (Deum) *dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia.* Aug. enar. in ps. 85.

Si instit erit precibus, & fletibus devota anima, denuo revertetur. Ber. in Cant. Ser. 33. P

In hoc corpore potest esse de præsentia Sponsi frequens lætitia, sed non copia. Ber. in Cant. Ser. 33.

Amor unit, & amor inebriat ... vere vehemens virtus amoris, inebrians, & abalienans. Gillib. in Cant. Ser. 42. n. 1. Q

Sæpe & pisces, dum in aquis ludunt, super aquas exiliunt, & nativæ illius habitationis suæ terminos excedunt, dum seipsos, vel ad modicum, per inane suspendunt. Sic procul dubio anima Sancta, dum interno quodam tripudii sui applausu à semetipsa excutitur ... nativæ passibilitatis terminos supergressa videtur. Rich. à S. Vic. l. 5. de Conf. c. 14.

Ab aliis dormio, & quiesco negotiis; ideo cor meum liberius vigilat ad sectandam hanc ebrietatem, & vinum potandum. Ordo mirabilis. De ebrietate dormitio, & de dormitione vigiliæ. Gillib. in Cant. Ser. 42. n. 1.

Bonus sopor mentis excessus, & alienatio ab affectibus carnis, & (si id etiam dicitur) sensibus corporis. Tunc

ma-

magis viget, & invigilat amor spiritualis, cum consopitur penitus omnis passio, & affectus animalis. Et dormitio, & inebriatio utraque alienationis vicem præfert. Idem ibid n. 1.

Crapula ebrietatis tuæ Mundo me tollit, & tibi tradit, soporat, & excitat. Sæcularium oblivisci me facit, & tui non sinit. Ibid. n. 2.

In somno dulci quietis meæ, sollicitudo vigilantis te vigilantius somniat. Dulcis somnus, & dulce somnium nescire alia, solum te scire. Ibid. n. 2.

Erant ebrii, (nempe Apostoli) *sed Spiritu Sancto, non musto.* Ber. in Cant Ser. 49. n. 2.

Istiusmodi vitalis, vigilisque sopor sensum interiorem illuminat. Ber. in Cant. Ser. 52. n. 3.

R *Nos si vere Christum diligimus, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoscimus.* D. Hyer. ep. ad Celant.

Qui adhæret Deo unus spiritus est, & in divinum quendam totus immutatur affectum, nec potest jam sentire, aut sapere, nisi Deum, & quod sentit, aut sapit Deus. Ber Ser. 25. in Cant.

Verus amator illud semper conatur perficere, propter quod valeat placere dilecto. D. Laur. Just. de comp. Chr. perf.

In Domino gaudens, ex accidente nullo, voluptate hac excidere potest. Chrys. t. 5. hom. 18. ad pop. Ant.

Nihil ultra terrenum sancta anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit, aut curat, ex quo regressa est è loco sarcinarum: & si aliquo horum aliquando, quasi in transitu, utitur, frui dedignatur: Si quid in hujusmodi prosperi evenerit, pertransit: non conturbatur, si quid adversi contigerit. Bern. lib. de Nat. & dig. am. div. c. 13.

Qui sunt voluntati divinæ conformes sunt quasi Dii, suæ voluntatis omnipotentes. D. Bonav. in Diæta Sal. tit. 8. c. 1.

Qui

Qui propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem. Dorot. Ser. 19.

Ubi amor est, labor non est, sed sapor. Bern. Ser. 85. in Cant. n. 8.

In eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Aug. t. 6. de bono vid. c. 21. n. 26.

In delicias spirituales etiam ipsa, quæ videntur laboriosa, vertuntur: nullo modo enim sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant. Aug. ibid.

Sive velis, sive nolis, illatum patieris: Sed si gratè quidem, maxima lucraberis: Si verò ægre ferens, superbiens, & blasphemans, neque calamitatem ità minorem facies, & majorem reddes procellam. Hæc itaque cogitantes, quod necessitatis est, hæc nostræ voluntatis esse faciamus, Domino benedictionem referendo: Ita mala, non voluntariè illata, tibi fient liberæ merita Voluntatis. Chryf. t. 5. hom 64. ad pop. Ant. S

Languet caro, dum ejus languidior, & remissior motus afficitur: Languet animus, dum æstuantis voti nimietate conficitur. Carnis languor est motus ejus, vel nullus, vel perexiguus. Animæ languor est motus ejus nimius. Gillib. Ser. 46. in Cant. n. 4. T

Non languet amor, sed languet amans. Ubi viget amor, ibi viget languor, si absit quod amatur. Quid est languor, nisi affectio quædam de absente dilecto amantem conficiens? Gill. Ser. 46. in Can. n. 3.

Nunquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna, si est: Si autem operari renuit, amor non est. D. Greg. hom. 30. in Evang. V

Operatur magna, & reputat parva. Operatur multa, & reputat pauca. Operatur diu, & reputat breve. D.Th. opusc. 61.

Non gradibus, sed excessibus fertur, volans, non vadens amor. Rich. à S. Vic. de Insatiab. c. 2.

Dimittitur volens non à volente, cum bracchia stringentis affectus corporis corruptibilis infirmitas laxat, necessi- U

tas

tas relaxat. D. Th. opusc. 61.

Hoc dimittere est contemplationem ex carnis necessitate remittere. Ibid.

O præsens absentia, & absens præsentia ejus, qui simul perditur, & habetur. Rich. à S.Vic. de grad.Char.c.2.

Facit ardere suaviter. D. Th. op. 61. gr. 4.

Anima tua liquefacta deficit, ferre non valens, & dilectus tuus declinat. Defectio tua fuga ipsius est. Delectationum vehementiam intervalla temperant, cujus continuationem ferre non potes. Gilib. Ser. 45. in Cant.

X *Fideli homini, & peregrino in Sæculo nulla est jucundior recordatio, quam Civitatis illius, unde peregrinatur. Sed recordatio Civitatis in peregrinatione non est sine dolore, atque suspirio*. D. Aug. t. 4. enar. in ps. c. 45. n. 2.

Frustrà sic languentis animæ conatur quis lenire dolorem, temperare mœrorem, cum deintus curari oporteat dulce vulnus amoris. Nullo proinde humano solatio mitigatur secreti doloris sacra amaritudo. Rich. à S. Vic. de grad. Char. c. 2.

Non est citrà Deum unde possit solatium capere, qui præter illum didicit nil amare ... Sibi solus Consolator est, qui & inhabitator est. Ibid.

Z *Magnum est, & valde magnum, tam humano, quam divino posse carere solatio*. Th. à Kem. de imit. l. 2. c. 9.

S. Teresia sic Deum alloqui erat solita, Domine aut pati, aut mori. In Brev. 15. Oct.

S. Maria Magdalena de Pazzis universis cœli deliciis, quibus copiosè affluebat, heroica virtute renuncians illud frequenter in ore habebat pati, non mori. In Brev. 25. Maji.

& *Omnia quidem præcedentia possunt fieri in distantia: Verùm hic primùm est conjunctio amantis cum amato. Nam languens, & quærens, & currens, distat; nec enim langueret, & curreret, visi distaret: & ideò languet, & quærit, & currit, ne distet*. D.Th. op. 61. gr. 8.

Strin-

Stringens non adhuc distat, sed magis adstat, vel instat. Ib.

In præcedentibus ergo gradibus anima amat, & amatur, quærit, & quæritur, vocat, & vocatur. In hoc autem gradu quodam miro, & indissolubili modo rapit, & rapitur, tenet, & tenetur, stringit, & stringitur, & una uni per amoris copulam sociatur. Ibid.

O Amor Sanctus, & castus! O dulcis, & suavis affectio! O pura, & defæcata intentio voluntatis! eo certò defæcatior, & purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur. Eo suavior, & dulcior, quo totum divinum est, quod sentitur. Sic affici, deificari est. D. Bern de dilig. Deo sub med.

Felix cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est. Quod non est aliud, quam amor Sanctus, & castus, amor suavis, & dulcis, amor tantæ serenitatis, quantæ & sinceritatis; amor mutuus, intimus, validus, qui non in carne una, sed uno plane in spiritu duos jungat, duos faciat, jam non duos, sed unum. D. Ber. in Cant. Ser. 83. n. 6.

Interdum exceditur, & seceditur etiam à corporeis sensibus, ut se se non sentiat, quæ Verbum sentit. Hoc fit cum mens ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, immo rapitur, atque elabitur à seipsa, ut Verbo fruatur... At quando hoc? aut quandiù huc? Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum. Bern. in Cant. Ser. 85. n. 13.

Est mentis excessum, extasimque faciens divinus amor, amatores sui juris esse non sinens, sed in ea, quæ amant, penitus transferens. Dyon. c. 7. de cœl. hier.

Trahit amor (quia fortis est, ut mors dilectio) amantem extra se, & collocat in amato, faciens ei intimissimè adhærere. Alb. Mag. lib. de adhær. Deo c. 12.

Per contemplationem divinæ voluntatis fit nobis quædam beatitudinis inchoatio, quæ hinc incipit, ut continuetur in futuro. D. Th. 2. 2. q. 80. ar. 4.

Ve-

℞ *Veniente quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, eritque ad alterutrum casta, & consumata dilectio, agnitio plena, visio manifesta, conjunctio firma, societas individua, similitudo perfecta. Tunc cognoscet anima, sicut cognita est; tunc amabit, sicut amata est, & gaudebit Sponsus super Sponsam cognoscens, & cognitus, diligens, & dilectus*. Bern. in Cant. Ser. 82.

Ibi vacabimus, & videbimus; videbimus, & amabimus; amabimus, & laudabimus. Aug. t. 3. p. 2. in ep. Jo. tr. 4.

O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incommutabilia. Et quando vos videbo bona Domini? Aug. t. 4. p. 1. enar. 2. in psal. 26. n. 22.

O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extrà quod non est gaudium! Quando intrabo in te? Aug. t. 9. Solil. c. 31.

O Amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas, Deus meus, accende me. Aug. t. 1. Conf. l. 10. c. 29.

FINIS.

Laus DEO, & Immaculatæ semper Virgini DEI Genitrici MARIÆ, pulchræ dilectionis Matri.

